~~b. Q.~~

Biogr.

5429

Diss. philos. 24

Luzac

Ex bibliotheca

Steph. Quatremeri.

SPECIMEN HISTORICO-JURIDICUM

INAUGURALE,

DE

Q. HORTENSIO ORATORE, CICERONIS AEMULO.

SPECIMEN HISTORICO - JURIDICUM
INAUGURALE,

DE

Q. HORTENSIO ORATORE, CICERONIS AEMULO.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

EDUARDI HAGEMAN,

JUR. UTR. DOCT. JURIS PUBLICI ET PRIVATI
PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu*, &
Nobilissimae FACULTATIS JURIDICAE *Consulto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus ac Privilegiis,
IN UNIVERSITATE REGIA HOLLANDIAE,
rite & legitime consequendis,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

LUDOVICUS CASPARUS LUZAC,

LUGDUNO — BATAVUS.

Die XVI. *Junii* MDCCCX. *H.* IX—XI *L. S.*

LUGDUNI — BATAVORUM,

APUD HAAK ET SOCIOS.

MDCCCX.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.
Bayerische
Staatsbibliothek
München

PATRI ET AVUNCULO

OPTIMIS CARISSIMIS,

SACRUM.

SPECIMEN HISTORICO - JURIDICUM INAUGURALE,

DE

Q. HORTENSIO ORATORE, CICERONIS AEMULO.

EXORDIUM.

Legenti mihi, ac saepius magna cum animi voluptate relegenti, elegantissimum JO. LUZACII, Patrui mei, Viri Clarissimi, (quem nobis & huic Academiae tristissimo fato ereptum lugere nondum destitimus) hujus igitur Specimen Academicum, exhibens *Observationes nonnullas Apologeticas pro Jureconsultis Romanis* legenti; quum incidissem in eum locum, quo

Q. HORTENSII tamquam Ciceronis aemuli mentionem facit Vir Cl. (*Cap.* III. §. 9—12. *p.* 43—45.) ea animum subiit cogitatio, hunc Virum excellentem, civem optimum, oratorem eximium, ac Ciceroni eloquentiae laude non longe postponendum, paratum mihi argumentum offerre, in quo, vitam ejus, scripta, resque gestas enarrando, Patrui LUZACII vestigia, longissimo quamvis intervallo, premens, ingenii mei vires periclitari possem.

Hoc itaque consilium quum cepissem, in eoque Virorum doctorum, praecipue vero Avunculi mei, Viri Clarissimi, JOANNIS VALCKENAERII, auctoritate; quae, uti apud alios multum, ita apud me plurimum valet, magnopere confirmatus essem, animum ad scribendum appuli. Inde hoc, quidquid est, Dissertationis de Q. HORTENSIO natum est, in qua si quid minus accurate, minusque pro rei gravitate scriptum inveniatur, (& invenietur certe) id juvenili aetati Lectorem Benevolum libenter condonaturum, spero & confido.

Quam

)(o)(

Quandoquidem vero in HORTENSIO noſtro duplex perſona mihi videbatur ſpectanda; altera, quae ad ingenii dotes; altera, quae ad munera publica laudabiliter ab eo, ſummoque applauſu geſta, pertineret; hunc modum egomet mihi ſatis probabiliter video praeſcripſiſſe, ut haec noſtra Disputatio duabus etiam partibus abſolveretur: quarum *altera*, HORTENSIUM, civem patriae amantiſſimum, graviſſimi ordinis Senatorii decus atque ornamentum, brevi quaſi in tabella depingerem; *altera*, ejusdem facultatem oratoriam, aliasque praeclariſſimi ingenii dotes, plane admirabiles, exponere conaret.

Ad poſteriorem partem pertinent, atque illic in cenſum venire debent, cauſſae, quas coram judice egit; non dico omnes, (earum enim numerus incredibilis fuit) ſed illae praecipue, quarum memoria atque argumentum ad nos pervenerunt.

Atque hoc loco nonnulla erunt dicenda de celebri illa, atque apud omnes decantata aemulatione HORTENSIUM inter & CICERONEM, ac demonſtrandum,

nequaquam illam impurum dissensionum atque inimicitiarum inter viros optimos fontem fuisse, sed potius utrique stimulum subdidisse acerrimum, quo ad majorem uterque perfectionem eniteretur.

Priore igitur hac Sectione agemus, de Q. HORTENSIO, CIVE ET SENATORE ROMANO; &, temporum ratione servata, examinabimus, quas partes in Republica secutus sit, quidve ipse ad ejus salutem promovendam vel meditatus sit vel effecerit.

)(o)(

Quandoquidem vero in HORTENSIO noſtro duplex perſona mihi videbatur ſpectanda; altera, quae ad ingenii dotes; altera, quae ad munera publica laudabiliter ab eo, ſummoque applauſu geſta, pertineret; hunc modum egomet mihi ſatis probabiliter video praeſcripſiſſe, ut haec noſtra Disputatio duabus etiam partibus abſolveretur: quarum *altera*, HORTENSIUM, civem patriae amantiſſimum, graviſſimi ordinis Senatorii decus atque ornamentum, brevi quaſi in tabella depingerem; *altera*, ejusdem facultatem oratoriam, aliasque praeclariſſimi ingenii dotes, plane admirabiles, exponere conarer.

Ad poſteriorem partem pertinent, atque illic in cenſum venire debent, cauſſae, quas coram judice egit; non dico omnes, (earum enim numerus incredibilis fuit) ſed illae praecipue, quarum memoria atque argumentum ad nos pervenerunt.

Atque hoc loco nonnulla erunt dicenda de celebri illa, atque apud omnes decantata aemulatione HORTENSIUM inter & CICERONEM, ac demonſtrandum,

nequaquam illam impurum diſſenſionum atque inimicitiarum inter viros optimos fontem fuiſſe, ſed potius utrique ſtimulum ſubdidiſſe acerrimum, quo ad majorem uterque perfectionem eniteretur.

Priore igitur hac Sectione agemus, de Q. HORTENSIO, CIVE ET SENATORE ROMANO; &, temporum ratione ſervata, examinabimus, quas partes in Republica ſecutus ſit, quidve ipſe ad ejus ſalutem promovendam vel meditatus ſit vel effecerit.

SECTIO PRIOR.

DE Q. HORTENSIO CIVE ET SENATORE ROMANO.

§. I. *De Gente* HORTENSIA & Q. HORTENSII *anno natali.* §. II—V. *Hortenſius adoleſcens, bello Sociali miles, Tribunus Militum,* caet. §. VI. *Lex Cornelia de Magiſtratibus. Hortenſius* QUAESTOR. §. VII. AEDILIS. §. VIII. *C. Verris commodis ad ornandum Forum uſus, excuſatur.* §. IX. *Reſiſtit Aurelianae Legi: Q. Opimius in jus vocatus.* §. X. *Hortenſius* PRAETOR, *a Cicerone laudatur: Conſul deſignatus Verrem defendit.* §. XI. CONSUL, caet. §§. XII, XIII. *Cretam Provinciam cum belli adminiſtratione ſortitus, recuſavit, Romae manſit.* FREINSHEMIUS *refutatur.* §§. XIV, XV. *Rogationes A. Gabinii & C. Manilii, quibus ſe oppoſuerunt tum alii, tum* HORTENSIUS. §. XVI. *Prior Conjuratio Catilinaria. Hortenſius Torquati Conſulis amicus.* §. XVII. *C. Cornelii Trib. Pl. audacia, contra quem* HORTENSIUS *teſtimonium dicit.* §. XVIII. *Cicero Conſul. Leges Agrariae a Rullo propoſitae. Tribuni Plebis in* HORTENSIUM *infenſi.* §. XIX. *C. Rabirius ab* HORTENSIO *& Cicerone defenſus.* §. XX. *P. Sullae ac-*

accuſatus de altera Conjuratione Catilinaria. Cicero-nis & HORTENSII *in eo discrimine conjunctio.* §. XXI. *Clodii facinus in violandis Bonae Deae ſa-cris, de eoque contentiones.* §. XXII. *Abſolutus Clodius,* HORTENSII *ardor, Lex Fuſiana,* CASAUBONI *opinio, paululum infenſior, refellitur.* §§. XXIII, XXIV. HORTENSIUS *a* TUNSTALLI *calumnia liberatus.* §§. XXV, XXVI. HORTENSIUS *a Cicerone in rebus publicis abalienatus propter hujus cum Cn. Pompejo conjunctionem.* §. XXVII. *L. Va-lerii Flacci accuſatio.* HORTENSIUS *& Cicero defenſores.* §. XXVIII. *P. Clodius Tribunus Ple-bis, Ciceroni infeſtus.* HORTENSII *legatio ad Con-ſules, ubi in defendendo Cicerone egregius & conſtans.* §. XXIX. *Cum Catone, Arrio, aliisque Ciceroni li-beri exſilii ſuaſor.* §§. XXX—XXXII. *Ab acerbis Ciceronis querelis excuſatur.* §. XXXIII. *Interpre-tes in* HORTENSIUM *nimis injuſti.* §. XXXIV. *Ci-cero redux; Clodii ſcelera, de iis contentiones in Se-natu,* HORTENSII *ſententia,* caet. §. XXXV. HORTENSIUS *Lentuli ſtudioſiſſimus in cauſſa Regis Ptolemaci.* §. XXXVI. HORTENSIUS *aliqua in cauſſa erga Ciceronem intemperans.* §. XXXVII. *P. Sextium defendit, Cicerone pro eodem perorante.* §. XXXVIII. *Cn. Pompeji & M. Licinii Craſſi Con-ſulum malae artes, Legis* SUMPTUARIAE *rogatio-ni* HORTENSIUS *ſe opponit, nec fruſtra.* §. XXXIX. *Cato, Suffenas & Procilius, Tribb. Pl. accuſati, hic condemnatus,* HORTENSIO *defendente: Cicero ſeſe abſtinuit.* §. XL. *Augurum inſtitutio. Cicero au-gur, ſtudio praeſertim* HORTENSII. §. XLI. *Mi-lonis judicium.* §. XLII. *Cicero Ciliciae Proconſul pro-*

profecturus, HORTENSIO *sua dat mandata: Hujus bima sententia.* §. XLIII. *M. Valerii Messalae Ambitus accusationes*, HORTENSII *defensio, eamque secutae contumeliae.* §. XLIV. *Causa Appii Claudii.* HORTENSIUS *animam agit.* §. XLV. *Ejus mors.* GLANDORPIUS *refutatur.* §. XLVI. HORTENSII *felicitas per totam vitam a* CICERONE *memorata.*

§. I.

Cum, teste EGNATIO, (1) mos sit iis, qui de vita & moribus alicujus magni viri vel scribunt, vel loquuntur, ut aliquid de genere dicant; huic quasi legi nos etiam obtemperemus, breviter quaedam praemittentes de Q. HORTENSII *Gente.*

Gens HORTENSIA ab *hortorum cultu* nomen traxit, ut FABII a *fabis*, PISONES a *pisis*, CICERONES a *ciceribus*, & LENTULI a *lentibus serendis* sunt appellati, monentibus CORRADO (2) & MAJANSIO (3). Utrum *Patricia* an *Plebeja* fuerit, disputatur; Cf. RICH. STREINIUS *de Gentibus & Familiis Romanorum*, (4) &, qui *Streinium* hic ad verbum exscripsit, ANT. AUGUSTINUS *de Famil. Rom.*

(1) Ap. SER. CORRADUM *Quaest. p.* 24. *Ed. Ernest.*

(2) *Com. ad* CICER. *Brut. p.* 5. *in f.*

(3) *Epistol. L.* VI. *Ep.* 28. Cf. PLINIUS *Hist. Nat. L.* 18. *c.* 3. & MIDDLETON *in Vita Cicer. T.* I. *S.* 1. *p.* 6 *sq. Ed. Londin. Anni* 1741.

(4) *in Thes. Antiq.* GRAEVII *T.* VII. *p.* 1113. *seqq.*

accuſatus de altera Conjuratione Catilinaria. Ciceronis & HORTENSII *in eo discrimine conjunctio.* §. XXI. *Clodii facinus in violandis Bonae Deae ſacris, de eoque contentiones.* §. XXII. *Abſolutus Clodius,* HORTENSII *ardor, Lex Fuſiana,* CASAUBONI *opinio, paululum infenſior, refellitur.* §§. XXIII, XXIV. HORTENSIUS *a* TUNSTALLI *calumnia liberatus.* §§. XXV, XXVI. HORTENSIUS *a Cicerone in rebus publicis abalienatus propter hujus cum Cn. Pompejo conjunctionem.* §. XXVII. *L. Valerii Flacci accuſatio.* HORTENSIUS *& Cicero defenſores.* §. XXVIII. *P. Clodius Tribunus Plebis, Ciceroni infeſtus.* HORTENSII *legatio ad Conſules, ubi in defendendo Cicerone egregius & conſtans.* §. XXIX. *Cum Catone, Arrio, aliisque Ciceroni liberi exſilii ſuaſor.* §§. XXX—XXXII. *Ab acerbis Ciceronis querelis excuſatur.* §. XXXIII. *Interpretes in* HORTENSIUM *nimis injuſti.* §. XXXIV. *Cicero redux; Clodii ſcelera, de iis contentiones in Senatu,* HORTENSII *ſententia,* caet. §. XXXV. HORTENSIUS *Lentuli ſtudioſiſſimus in cauſſa Regis Ptolemaci.* §. XXXVI. HORTENSIUS *aliqua in cauſſa erga Ciceronem intemperans.* §. XXXVII. *P. Sextium defendit, Cicerone pro eodem perorante.* §. XXXVIII. *Cn. Pompeji & M. Licinii Craſſi Conſulum malae artes, Legis* SUMPTUARIAE *rogationi* HORTENSIUS *ſe opponit, nec fruſtra.* §. XXXIX. *Cato, Suffenas & Procilius, Tribb. Pl. accuſati, hic condemnatus,* HORTENSIO *defendente: Cicero ſeſe abſtinuit.* §. XL. *Augurum inſtitutio. Cicero augur, ſtudio praeſertim* HORTENSII. §. XLI. *Milonis judicium.* §. XLII. *Cicero Ciliciae Proconſul pro-*

profecturus, HORTENSIO *sua dat mandata: Hujus bima sententia.* §. XLIII. *M. Valerii Messalae Ambitus accusationes*, HORTENSII *defensio, eamque secutae contumeliae.* §. XLIV. *Caussa Appii Claudii.* HORTENSIUS *animam agit.* §. XLV. *Ejus mors.* GLANDORPIUS *refutatur.* §. XLVI. HORTENSII *felicitas per totam vitam a* CICERONE *memorata.*

§. I.

Cum, teste EGNATIO, (1) mos sit iis, qui de vita & moribus alicujus magni viri vel scribunt, vel loquuntur, ut aliquid de genere dicant; huic quasi legi nos etiam obtemperemus, breviter quaedam praemittentes de Q. HORTENSII *Gente.*

Gens HORTENSIA ab *hortorum cultu* nomen traxit, ut FABII a *fabis*, PISONES a *pisis*, CICERONES a *ciceribus*, & LENTULI a *lentibus serendis* sunt appellati, monentibus CORRADO (2) & MAJANSIO (3). Utrum *Patricia* an *Plebeja* fuerit, disputatur; Cf. RICH. STREINIUS *de Gentibus & Familiis Romanorum*, (4) &, qui *Streinium* hic ad verbum exscripsit, ANT. AUGUSTINUS *de Famil. Rom.*

(1) Ap. SER. CORRADUM *Quaest. p.* 24. *Ed. Ernest.*

(2) *Com. ad* CICER. *Brut. p.* 5. *in f.*

(3) *Epistol. L.* VI. *Ep.* 28. Cf. PLINIUS *Hist. Nat. L.* 18. *c.* 3. & MIDDLETON *in Vita Cicer. T.* I. *S.* 1. *p.* 6 *sq. Ed. Londin. Anni* 1741.

(4) *in Thes. Antiq.* GRAEVII *T.* VII. *p.* 1113. *seqq.*

Rom. (1). Claram vero *Hortenſiam Gentem* fuiſſe dubium non eſt, quum plurimi ex ea ſummos in Republica honores obiiſſe legantur. Sic v. g. DICTATOR fuit Q. HORTENSIUS, qui Legem tulit, *ut Plebiſcita omnes Quirites tenerent* (2). Ad A. U. 645 etiam *Conſul deſignatus* fuit Q. HORTENSIUS; magiſtratum vero ſuum non adiit: quam ob cauſſam, ignoramus. Hunc ONUPHRIUS PANVINIUS falſo noſtri Hortenſii *patrem* fuiſſe vult; cujus aetas, eo anno, Quaeſtoria potius, quam Conſularis eſſe potuit, judice PIGHIO *Ann. ad. h. Annum Tom.* III. *pag.* 129.

Natus vero eſt QUINTUS HORTENSIUS, A. U. 639, M' Acilio Balbo, C. Porcio Catone Coſſ. uti colligere licet e CICERONIS verbis, qui eum *undeviginti annos natum, primum in foro dixiſſe* affirmat, *L. Craſſo, Q. Scaevola Conſulibus* (3); quorum conſulatus cum in Annum U. C. 658 incidat, (4) res plane omni dubio caret (5).

Patre uſus eſt nobili L. HORTENSIO, Senatorio viro, variis functo honoribus; *Quaeſtura, Tribunatu Plebis*

(1) *in Theſ. Antiq. T.* VII. *p.* 1266. Leg. SEB. CORRADUS *ad* CICER. *Brut. p.* 6. & BAYLIUS *Lex. Hiſt. in voce* HORTENSIUS.

(2) De hoc *Dictatore* legantur Interpretes *ad* LIVIUM *L.* VIII. *c.* 12. & *ad* LIVII *Epitom. L.* XI. *T.* III. *p.* 192. *Ed.* DRAKENB.

(3) *Brut. cap.* 64. *cf. de Orat.* III. 61. *Brut. cap.* 96.

(4) Vid. PIGHIUS *Ann. Rom. Tom.* III. *pag.* 196.

(5) Adde *in Bruto c.* 64. „*me adoleſcentem nactus* octo annis *minorem, quam erat ipſe, multos annos in ſtudio ejusdem laudis exercuit.*" CICERO autem natus eſt A. U. 647. Cf. PIGHIUS *Ann.* III. 140. FABRICIUS MARCODURANUS *in Vit. Cicer. ad h. annum* & MIDDLETON. *in Vita Cicer. T.* I. *p.* 1.

bis, *Praetura* (6), ex qua Siciliam ſortitus, eam tam bene adminiſtravit, ut cum *Cn. Pompejo Strabone*, & *M. Marcello*, *ab aequitate*, *ab lege*, *ab integritate non receſſiſſe*, dicatur (7).

§. II.

Recens adhuc, Q. HORTENSIO juvene, erat memoria Fratrum GRACCHORUM, qui optimo, ſed forte minus tempeſtivo conſilio, Plebis partes ſunt tutati, & in illa cum Optimatibus pugna occubuerunt. Vidit praeterea ſimiles turbas, Agrariae legis cauſſa concitatas, a L. SATURNINO Trib. Pl., adjutore C. Mario: & tandem, illos LIVII DRUSI, etiam Tribuni Plebis, conatus, quibus concordiam, Patres inter & Plebem ſe inſtaurare velle, profeſſus eſt.

Voluit ſcilicet Druſus judicia Senatui reſtituere, & Plebi gratificari leges Agrarias ferendo, & praeſertim, Socios Italicos, jam lege *Mucia Licinia* (8) exasperatos, lenire, propoſita illis ſpe civitatis.

Res aliter cecidit; Druſus ab inimicis per fraudem interfectus eſt, A. U. 663: & Socii Italici, ab illa ſpe dejecti, arma ſumſerunt, non, ut vi & ferro *Roma-*

(6) Cf. PIGHIUS *Ann.* III. *p.* 128, 132, 154, 190, 195.

(7) CICERO *Verrin. Act.* II. *Lib.* 3. *cap.* 16.

(8) Lex MUCIA LICINIA lata eſt a L. LICINIO CRASSO Oratore, & Q. MUCIO SCAEVOLA Coſſ. A. U. 658: *de civitate, ne quis ſit pro cive, qui non ſit civis.* CICERO *de Off.* III. 11. *Or. p. Balbo.* 21, 24. *Cf.* BALDUINUS *Jurispr. Muciana. p. m.* 100. ERNESTI *Cl. Cicer. Ind. Leg. v.* LICINIA MUCIA.

manis eriperent civitatem, ſed ut in eam reciperentur, petentes (1).

Ex hoc fonte manavit bellum illud *Italicum*, ſive *Sociale*, ſeu *Marſicum*, quod per triennium geſtum eſt a *Sociis Italicis*, *Picentibus*, *Marſis*, *Pelignis*, aliisque, magno auſu, magnoque apparatu; *quorum ut fortuna atrox, ita cauſſa fuit juſtiſſima*, teſte VELLEJO PATERCULO (2), &, qui idem ſentit, OVIDIO, *Amor.* III. 15. *vſ.* 7.

Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo:
Pelignae dicar gloria gentis ego.

Quam ſua libertas ad honeſta coegerat arma,
Cum timuit ſocias anxia Roma manus.

§. III.

In hoc bello, quod, primum adverſa fortuna, interfectis duobus Conſulibus, exercitibusque ſaepe profligatis, deinde feliciori ſucceſſu, discordia inter ſocios orta, geſtum eſt; *primo anno fuit* HORTENSIUS *miles, altero Tribunus militum* (3).

Annum tum agebat vigeſimum quartum: & quamvis per quinquennium in Foro jam verſaretur, & ad majores cauſſas adhiberetur, videtur militiae nomen dediſſe, cum *judicia bello intermiſſa videret* (4): tum, ea etiam in par-

(1) CICERO *Philipp.* XII. 11.

(2) *Lib.* II. *c.* 15. Cf. CICERO *p. Balbo. c.* 22. Leg. FLORUS III. 18. & Auctores a FREINSHEMIO ad initium h. Cap. citati.

(3) CICERO *Brut. c.* 89.

(4) CICERO *Brut. c.* 88. Senatus enim decreverat, ne judicia, dum tumultus Italicus eſſet, exercerentur, ut ait *Aſconius*. Cf. CORADUS *Com. ad Brut. l. l. p.* 429.

parte morem majorum ſecutus, qui militaris disciplinae uſum in unoquoque Romano, liberaliter inſtituto, requirebat: unde canit HORATIUS (5):

Anguſtam, amici, pauperiem pati
Robuſtus acri militia puer
Condiſcat; & Parthos feroces
Vexet eques metuendus haſta:
Vitamque ſub divo, & trepidis agat
In rebus:

Ita enim Romana Respublica ſapienter erat conſtituta, ut, qui ſe ad arma & bellica negotia darent, omnino tamen non poſſent carere illis ſtudiis, quae Romae in Foro & in Senatu civem ornabant; contra, qui ambitionis labore, veluti Craſſus (6), vitam diſtrictam haberent, & privatis magis officiis & ingenii laude florerent, non plane expertes eſſe poterant omnis disciplinae militaris, cum ſaepe iis Propraetoribus, vel Proconſulibus, ingentes exercitus, maximaque Reipublicae pericula eſſent committenda (7).

§. IV.

Bello Sociali finito, HORTENSIUS ad forum causſasque rediit, neque umquam belli ſtrepitum ulterius videtur ſecutus eſſe. Errat igitur GLANDORPIUS (8) ſcri-

(5) *Carm.* III. *Od.* 2. *init.*
(6) Cf. CICERO *de Orat.* III. 2.
(7) Legatur MIDDLETONUS *in Vita Cicer. T.* I. *S.* I. *p.* 18.
(8) *Onom. Hiſt. Rom. p.* 404.

ſcribens, *Ivit mox cum Sulla legatus in Aſiam contra Mithridatem;* quod jam idoneis argumentis refutavit BAYLIUS (1), quibus tamen duo alia addere liceat.

Horum prius nobis ſuppeditat PLUTARCHUS *in vita Sullae* (2); ubi locutus de hujus nuptiis cum Valeria, Meſſalae filia, eleganti muliere forma & genere illuſtri, addit diſerte: Ὀρτησίου δὲ τοῦ ῥήτορος ἀδελφὴ, quae voces, τοῦ ῥήτορος, additae videntur, ne confunderetur cum altero illo Hortenſio, de quo paullo ſupra locutus erat PLUTARCHUS (3), & qui in pugna ad Chaeroneam, cum Gallo, etiam Sullae legato, copiis ſubſidiariis praeerat, στρατηγικὸς ἀνὴρ καὶ φιλόνεικος (4).

Alterum petimus ex CICERONIS verbis ad M. Coelium, Aedilem Pl. A. U. 704. ſcribentis (5): „ Etenim memini, in hoc genere gloriari ſolitum eſſe „ familiarem noſtrum, Q. HORTENSIUM, quod „ numquam bello Civili interfuiſſet. *Hoc noſtra laus* „ *erit illuſtrior, quod illi tribuebatur* IGNAVIAE: „ *de nobis id exiſtimari poſſe non arbitror*"; quae *ignaviae* criminatio male caderet in illum Sullae fortiſſimum & totius rei bellicae bene peritum legatum. Sed quid multa: ipſe CICERO controverſiam plane di-

(1) *Lex. Crit. Hiſt. Voce Q.* HORTENSIUS *T.* II. *p.* 794. *n. B.*

(2) *T.* I. *p.* 474. *C.*

(3) *in Vita Sullae T.* I. 461. *C.* 463. *C.*

(4) De eodem HORTENSIO, Sullae legato, eſt fragmentum DIONIS CASSII *Ed.* REIMAR. *no.* 125. *T.* I. *p.* 51. ὅτι Ὀρτήσιος στρατηγικὸς ἀνὴρ καὶ πολεμικὰ ἀσκημένος. Legatur nota HENR. VALESII §. 165. DIONIS *Reim. T.* I. *p.* 49. ubi oſtendit omnia haec DIONIS, eſſe exſcripta ex PLUTARCHI *Vita Sullae.* Cf. REIMARUS *ad Fragm.* DION. CASS. §. 285. *T.* I. *p.* 73. de ſimili DIONIS furto.

(5) *ad Diverſ.* II. 16.

dirimit, uti recte animadvertit *Baylius l. l.* Nam illa contra Mithridatem expeditio, in illud triennium cadit, „ quo fere urbs fuit sine armis, sed oratorum aut „ interitu, aut discessu, aut fuga; nam aberant „ etiam adolescentes M. Crassus & Lentuli duo; *primas in causis agebat Hortensius* (6)."

§. V.

SULLA ad Mithridaticum bellum profecto, dirae illae ortae sunt turbae civiles, inter Consules Cinnam & Octavium, quae, morte Octavii, praestantissimorumque civium, Sullae amicorum, P. & C. Caesarum, P. Crassi, M. Antonii, aliquantum sopitae, in primis tamen interitus Romanae Reipublicae caussis sunt censendae. Mox enim interfecto Cinna, rebus perturbatis, quum in pejus rueret Romana libertas, Sulla rerum potitus, cruentam illam instituit proscriptionem, qua Marianos oppressit, & libidinose in eos, qui ei displicuerant, saeviit. Infelicitatem horum temporum tangit LUCANUS (7);

Perdita tunc Urbi nocuerunt secula, postquam
Ambitus, & luxus, & opum metuenda facultas
Transverso mentem dubiam torrente tulerunt.

Cum scilicet in civium jugulos

Jus

(6) *Brut. cap.* 90.
(7) *Phars.* IV. 816. *sqq.*

Jus —— —— —— —— *ſibi fecerat enſis*
Sulla potens, Mariusque ferox, & Cinna cruentus.

Deinde Sulla, a L. Flacco Interrege Dictator creatus, plurima immutavit; judicia Equitibus ademit & Senatui reſtituit: Tribunorum Plebis vero poteſtatem inſigniter coarctavit.

Sullae partes ſecutus erat Pompejus, quem HORTENSIUS, una cum Philippo, ante defenderat. Legatur PLUTARCHUS *in Vita Pompeji T.* I. *pag.* 619. *D. Cf.* CICERO *in Bruto. c.* 64.

§. VI.

Inter Leges quas tulit *Sulla* (1), ut Rempublicam, diuturnis ſeditionibus & turbis quaſſatam, confirmaret, fuit & illa *de Magiſtratibus*, cujus caput erat, ut quotannis *viginti Quaeſtores*, partim populi ſuffragio, partim Conſulum lectione, crearentur (2), ad ſupplendum Senatum, cui *Sulla* judicia reddiderat. Unus horum *viginti* Quaeſtorum, primum *Lege Cornelia* A. U. 673 creatorum, fuit Q. HORTENSIUS (3).

Quaeſtura vero, ut notum eſt, primus erat gradus ad ampliſſimos in Republica honores capeſſendos. HORTENSIUS autem juvenis omni ſeſe inſtruxerat cognitione, digna & *nobili & cauſas oranti* (4). Tempus, quo belli calamitate ſilebant optimorum Oratorum voces in fo-

(1) Eas recenſet PIGHIUS *Ann. Rom. A. U.* 672. III. 260 *ſqq.*
(2) Cf. TACITUS *Ann.* XI. 22.
(3) Cf. PIGHIUS *Ann.* III. 272.
(4) Quaenam ea ſit, diſcimus ex *L.* 2. §. 43. *D. de Or. Juris.*

foro, utiliter valde consumserat in addiscenda militari arte: nunc vero ad forum reversus, de concilianda sibi civium voluntate maxime sollicitus, clarissimas egit causas. Cumque in illis turbis & bellis civilibus nullius potissimum partes secutus esset, nunc restituta Republica, firmato ingenio & ad omnia instructo, Sullae partibus se dedidit, in quibus tuendis tranquillitas imperii ei sita esse videbatur.

Hujus Quaesturae saepe mentionem facit CICERO *in Verrinis*, magna cum laude, ob rationes recte relatas, & universe bene administratam provinciam; &, quod maximum est, eam cum sua *Quaestura Siciliensi* comparat. „ Hoc est, *inquit*, rationes referre? hoc „ modo aut ego, aut tu, Hortensi, aut quisquam ho„ minum retulit?" (5)

§. VII.

A. U. 675 mortuo Sulla, a seditioso M. Aemilii Lepidi Cos. ingenio, novae ortae sunt discordiae, qui cum acta Sullae vellet rescindere, & cum valido exercitu ad urbem veniisset, a Q. Catulo collega, & Cn. Pompejo victus, tandem Italia pulsus est, atque ita pax restituta.

In urbe dein pacatis rebus, HORTENSIUS, Sullae partium sectator, semel constitutam ambitionis viam tenens, A. U. 677 *Aedilitatem* petiit, cum *ex Asia rediisset Cicero, & Quaesturam, Cotta autem Consulatum* ambiret (6). Neque frustra petierunt: nam sequen-

(5) *Verrin. Act.* II. *L.* I. *c.* 14. *cf. & c.* 39. *& L.* III. *c.* 78.
(6) CICERO, *Brut. cap.* 92.

quenti A. U. 678. eos his magiſtratibus functos videmus (1).

Fuit omnino haec *Aedilitas* Reipublicae utiliſſima, ſiquidem in annonae, qua tunc premebantur, caritate, ſesquimodiis in capita diviſis, tumultuoſam plebem placavit HORTENSIUS, & maximam a populo gratiam iniit. „ Quod niſi, *inquit* CICERO (2), omnis „ frumenti ratio ex temporibus eſſet & annona, non „ ex numero, neque ex ſumma, conſideranda: num„ quam tam grati hi ſesquimodii, Q. Hortenſi, fuis„ ſent: quos tu cum ad menſurae tam exiguam ratio„ nem populo Romano in capita deſcripſiſſes, gratiſſi„ mum omnibus feciſti: caritas enim annonae facie„ bat, ut iſtuc, quod re parvum videbatur, tempore „ magnum videretur. Idem iſtuc ſi in vilitate populo „ Romano largiri voluiſſes; deriſum tuum beneficium „ eſſet atque contemtum. ”

Ad Aedilitatem etiam pertinuiſſe ludorum Circenſium dandorum officium, non indiget verboſa demonſtratione; res eſt cognita. In iis ſumtuoſiſſime & elegantiſſime faciendis praecipua tum Aedilitatis laus ſpectabatur. HORTENSIUS in his etiam excelluit, & numeratur a CICERONE (3) inter eos qui magnificentiſſima Aedi-

(1) Vid. PIGHIUS *Ann. Tom.* III. *p.* 298 & 300. Collegam *Hortenſius* in Aedilitate habuit *Q. Caecilium Metellum*, qui cum eo etiam Conſul fuit, & poſtea *Creticus* appellatus eſt.

(2) *Verrin. Act.* II. *L.* III. *c.* 92. quem locum cum PIGHIO *Ann.* III. 300. & qui eum ſequitur, FREINSHEMIO, *in Suppl. Livian. L.* 94. *c.* 25. de HORTENSII *Aedilitate* intelligo. P. MANUTIUS *ad l. Ciceronis l.* de *Quaeſtura*, ad quam *rei frumentariae* curam pertinuiſſe, dicit.

(3) *de Off.* II. 16. „ Et paullo poſt L. Craſſus cum omnium homi„ num

Aedilitate clari exſtiterunt, L. Craſſum, Q. Mucium Scaevolam, C. Claudium, Lucullos, aliosque.

§. VIII.

Quemadmodum vero „ omnia ſigna, tabulas, orna„ mentorum quod ſupererat in fanis, & communibus „ locis, tota e Graecia, atque inſulis omnibus, hono„ ris populi Romani cauſa, — domum ſuam depor„ tare," forumque & comitia iis ornare, (4) plurimorum Romanorum mos erat; idem quoque ab HORTENSIO factum videmus, cui ad hanc rem rapta ex Provinciis ſigna Verres commodaverat: unde CICERO *in Verrinis*, *Actione Secunda*, quam ſcripſit tantummodo, non habuit, HORTENSIO objicit, quod ejus furtis fuiſſet uſus ad ornandum forum & comitia; ſimul illi accuſatorie harum rerum ſtudium & voluptatem exprobrans; „Dices, (*Verrem alloquitur*) (5) tua „ quoque ſigna & tabulas pictas ornamento urbi foro„ que populi Romani fuiſſe. Memini: vidi ſimul cum „ populo Romano forum comitiumque adornatum, ad „ ſpeciem magnifico ornatu, ad ſenſum cogitationem„ que acerbo & lugubri. Vidi collucere omnia furtis „ tuis, praeda Provinciarum, ſpoliis Sociorum atque „ amicorum. Quo quidem tempore, judices, iſte „ ſpem maximam reliquorum quoque peccatorum „ na-

„ num moderatiſſimo Q. Mucio, magnificentiſſima Aedilitate functus eſt: „ deinde C. Claudius, Appii filius: multi poſt, Lucilli, *Hortenſius*, „ Silanus. Omnes autem P. Lentulus, me Conſule, vicit ſuperiores."

(4) CICERO *pro Domo ad Pont. c.* 43.

(5) *Verr. Act.* II. *L.* I. *c.* 22. Cf. ſupra *L* 1. *c.* 19. *de Tene*, ſanctiſſimo Tenediorum Deo; *quem*, inquit, *quondam in Comitio vidiſtis. Cf. & c.* 20.

„ nactus est. *Vidit enim eos, qui* JUDICIORUM „ DOMINOS (1) *se dici volebant, harum cupidi-* „ *tatum esse* SERVOS".

Inveniuntur in illa *Actione Verrina Secunda*, praesertim in *Libro Primo*, qui agit *de Practura Urbana*, & *Libro Quarto*, qui *de Signis* inscribitur, plura loca, ubi CICERO in HORTENSIUM, quem Verris *Amicum* vocat, (2) oratorie invehitur, ob horum ornamentorum in Aedilitate usum; & significat, eum forum & basilicas spoliis Provinciarum & furtis nocentium ornasse,— „ & ablata ex urbibus Sociorum, qua- „ tridui causa, per simulationem Aedilitatis, domum „ deinde, atque ad suas villas abstulisse (3)".

Nihil tamen in eo fecerat HORTENSIUS, quod tam graviter & severe reprehendi mereretur, nisi ab accusatore acerbo. Sequebatur enim constantem omnium Romanorum consuetudinem, qui Praetores vel Aediles creati, forum ac basilicas, ornamentis amicorum, & commodis hospitum, ornabant. Ille autem a Verre, ditissimo homine, hunc in finem petierat tabulas, signa, monumenta, caet. qui & statim ea commodavit: quo tempore HORTENSIUS ignorare potuit, quibus sceleribus ea sibi acquisivisset *Verres*; ac forte a Sociis empta putavit, uti in hujus Defensione etiam dixisse videtur: „ *Fingitur*, inquit enim CICERO (4), *impro-* „ *ba defensio, Praetorem omne id argentum coëmisse.*"

Ne-

(1) HORTENSIUM, caeterosque nobiles designat, teste ASCONIO PEDIANO *ad h. l.* Leg. P. MANUTIUS *ad h. l.* Cf. *Act.* II. *L.* 4. *c.* 44. ubi dicuntur, *isti, qui se* ELEGANTES *dici volunt.* cf. & *Act.* I. *c.* 12. Dissentit FERRATIUS *Epist. Libr.* IV. *Ep.* 3 *n.* 2. *p.* 213.

(2) *Cf. Act.* II. *L.* 4. *c.* 1. *init. & Divin. in Q. Caecilium c.* 7.

(3) *Act.* II. *L.* 4. *c.* 3.

(4) *Act.* II. *L.* 4. *c.* 16. *Cf. & L.* 4. *c.* 4.

Neque tamen ſolus HORTENSIUS his ornamentis ad adornandum forum uſus eſt, ſed, teſte ASCONIO PEDIANO (5), item *Metellis*, rapta ex Provinciis ſigna commodaverat Verres: Unde & CICERO (6): „ ſi quis „ quando, *inquit*, aliquid ejusmodi videre volet, eat ad „ aedem Felicitatis, ad monumentum Catuli, in porticum Metelli: det operam, ut admittatur in alicujus „ iſtorum *Tusculanum* (7): ſpectet forum ornatum, ſi quid iſte ſuorum Aedilibus accommodavit.”

Sed huic C. Verris cauſſae alius eſt deſtinatus locus: ſatis ſit hic monere, quamvis dixerit CICERO, (8) *ſe Latine, non accuſatorie loqui*, haec tamen omnia minus ponderis habere; ſiquidem ab accuſatore dicta, & quidem a tali, qui, his ſcriptis, exemplum voluit relinquere, quid divinum ſuum ingenium etiam in accuſando praeſtare poſſet; praeſertim in tam nobili cauſſa, contra defenſorem tanta auctoritate in Foro & apud Judices valentem.

§. IX.

Eodem Anno U. 678. a C. AURELIO COTTA Conſule oratio eſt habita, ut dura Tribunorum Plebis conditio aliquantum leniretur (9); quam ſecuta eſt abrogatio illius *Legis Corneliae* capitis, quod Tribunitiis majorum honorum ſpem ademerat. Hanc *Aureliam* legem

(5) *ad Act.* II. *L.* 1. *c.* 22.

(6) *Act.* II. *L.* 4. *c.* 57.

(7) De Hortenſii *Tusculano*, locus eſt apud PLINIUM *H. N.* XXXV. 11. & ap. MACROBIUM *Saturn.* II. 9. (III. 13.)

(8) *Act.* II. *L.* 4. *c.* 1.

(9) Lege enim *Cornelia*, SULLAE Dictatoris, Tribunis Plebis ademtum erat *jus vetandi, intercedendi, agendi cum Populo*, & *reliquos Magiſtratus capeſſendi.*

gem Q. OPIMIUS Trib. Pl. ſuaſit (1), repugnantibus nobilibus, & praeſertim Sullae partium defenſoribus; quorum primarii erant *Q. Catulus* & Q. HORTENSIUS.

Illi vero potentiae jacturam, ſequenti A. U. 679. in Q. OPIMIUM, praecipuum auctorem, ulti ſunt, & apud *Verrem* Praetorem „ adductus eſt in judicium, „ verbo, (uti CICERO, adverſae partis ſtudioſus, & *Verris* accuſator, dicit, (2)) quod, cum eſſet „ Tribunus Plebis, interceſſiſſet contra legem Cornelliam: re, quod in Tribunatu dixiſſet contra alicujus „ hominis nobilis voluntatem. De quo judicio (3) ſi „ velim dicere omnia, multi appellandi laedendique ſint: „ quod mihi non eſt neceſſe. tantum dicam, *paucos* „ *homines*, *ut leviſſime dicam*, ARROGANTES, „ hoc adjutore, Q. Opimium per ludum & jocum „ fortunis omnibus evertiſſe." Quo loco, nomine ARROGANTIUM, CICERO ſignificat *Catulum*, HORTENSIUM, *Curionem* (4), Principes Sullanarum partium; qui tamen non *per ludum & jocum* Q. Opimium accuſarant, ſed ut, quemadmodum illi quidem exiſtimabant, puniretur ob illam imprudentiam, qua tota conſtitutio Sullana penitus everteretur.

§. X.

ANDREAS SCHOTTUS, qui defectum aliquot

(1) Perſuaſiſſe hanc legem *Opimium*, teſtatur ASCONIUS PEDIANUS, ad CICER. *Verr. Act.* II. *L.* I. *c.* 60.

(2) *Act.* II. *L.* I. *c.* 60.

(3) De eo legatur FERRATIUS *Epiſt. L.* II. *E.* II. *p.* 114.

(4) ASCONIUS PEDIANUS ad l. l.

quot annorum in *Annalibus Pighianis* ſupplevit (5), cum non ita accuratiſſime omnes Magiſtratus notaret, omiſit etiam HORTENSII *Praeturam*, quam tamen, ſuo tempore obtinuit, ut animadvertit GLANDORPIUS (6), & ut patet e CICERONE (7): a quo, Senatorum judicia vituperante, cum laude memoratur, quod ab illo, *de pecuniis repetundis* quaerente, Senator ſit damnatus. „ Cognoſcet ex me, *ait*, populus Romanus, quid ſit, quamobrem, „ cum Equeſter ordo judicaret, annos prope quin„ quaginta continuos, ne tenuiſſima quidem ſuſpi„ cio acceptae pecuniae ob rem judicandam conſti„ tuta ſit? — quid ſit, quod, P. Septimio ſenatore „ damnato, Q. HORTENSIO *Praetore*, *de pecu„ niis repetundis*, lis aeſtimata ſit eo nomine, quod „ ille ob rem judicandam pecuniam accepiſſet."

Huc usque admirati ſumus HORTENSII conſtantiam, quod, quam ſemel amplexus eſſet ſententiam, religioſe tenuerit: nunc vero ejus res geſtae magis in luce verſabuntur, & cognoſcentur ex CICERONIS ſcriptis, cujus cum vita magis magisque conjunctae eſſe coeperunt.

Poſt comitia Anni U. 683, quibus creatus eſt HORTENSIUS ſequentis anni CONSUL, cum Q. Metello; CICERO deſignatus Aedilis, celebrem illam inſtituit *C. Verris* accuſationem. „ Cum igitur, *inquit*

(5) Vid. *Ann. Pigh.* III. 305. *A. U.* 679: eos ſupplevit usque ad A. U. 690. *T.* III. *p.* 322.

(6) *Onom. Hiſt. Rom. p.* 404 *ſq.* Cf. ASCON. PEDIAN. *ad Verr. Act.* II. *L.* I. *c.* 22. *init.*

(7) *Verrin. Act.* I *o.* 13.

quit (1), eſſem in plurimis cauſis & in principi-
„ bus patronis quinquennium fere verſatus, tum in pa-
„ trocinio Sicilienſi maxime in certamen veni *deſignatus*
„ *Aedilis cum deſignato Conſule* HORTENSIO."

Defendebatur Verres a Scipionibus & Metellis, & praeſertim „ *ab* HORTENSIO *ipſo*, *facile &* „ *principe in Senatu propter nobilitatem*, *& in fo-* „ *ro ob eloquentiam Rege cauſarum* (2)." Hujus igitur gloria quam maxime excitatus CICERO, omni labore, diligentia, & induſtria hanc cauſſam peregit: & HORTENSIUM, qui more ſuo, hujus hominis, familiaris ſui, defenſionem ſuſceperat, argumentorum bonitate & pondere ſuperavit.

§. XI.

HORTENSIUS, quem Conſulem deſignatum „*maxima frequentia & multitudo civium domum de-* „*duxerat*" (3), cum Q. CAECILIO METELLO qui poſtea *Cretici* cognomine inclaruit, A. U. 684. magiſtratum hunc inivit, & per totum anni ſpatium pacatum in urbe habuit. Quid autem, HORTENSIO Conſule, in Romana Republica, etiam foris acciderit, legatur apud FREINSHEMIUM *in Suppl. Livian. L.* 98. *c.* 31—67. Cf. ANN. PIGHIAN. *ad h. Ann. T.* III. *p.* 312. FABRICIUS MARCOD. *in Vita Cicer. ad h. Annum.* & MIDDLETON. *l. l. T.* I. *S.* 2. *p.* 114. *ſeqq.*

P. MA-

(1) CICERO *in Brut. cap.* 92.
(2) ASCONIUS PEDIANUS, *Argum. Divin. ad Q. Caecilium.*
(3) CICERO *Verr. Act.* I. *c.* 7. *ibique* ERNESTI.

P. MANUTIUS ſcribit (4), HORTENSIO & METELLO *Conſulibus*, latam fuiſſe *Legem Aureliam*, qua tres Ordines coeperunt judicare, Senatores, Equites, & Tribuni Aerarii, „ *cum*, inquit, Equites *ante*, *Lege* „ *Cornelia*, *per annos decem turpiter judicaſſent*;" & citat ASCONIUM PEDIANUM *ad* CICERONIS *Cornel.* I; & ſuum *de Romanis Legibus* librum.

Quod ſi verum eſſet, certe illud memorabile factum ſufficeret, quo Conſulatus HORTENSII illuſtraretur: ſed haec mihi parum accurate dicta videntur. Nam, primo: vix intelligo unde hic *Equitum* fiat mentio, quos, lege Cornelia, per decem annos turpiter judicaſſe dicit MANUTIUS; cum conſtet, *Senatoribus*, a Sulla, judicia fuiſſe reſtituta, quae C. Gracchus *Equitibus* dederat.

Deinde, in illo *de Romanis Legibus* libro, (5) copioſe quidem egit MANUTIUS, *de Legibus de Judiciis*, *Teſtimoniis & Indiciis*, ſed plane contraria concludit. En ipſius verba: „ Poſt victor Sulla, Di- „ ctator primus Reipublicae conſtituendae cauſſa factus, „ *infenſus Equitibus*, quia pro Cinnanis partibus ſte- „ terant, legem tulit, ut nemo, niſi qui *Senator* eſſet, „ judicare poſſet. — Sulla mortuo, quod ille ſanxerat, „ per annos undecim ſervatum eſt, hoc eſt, usque ad „ Cn. Pompeji & M. Craſſi primum Conſulatum: quo „ anno L. Aurelius Cotta praetor populum rogavit, „ po-

(4) *Comm. ad* CICER. *Epiſt. ad Div.* VIII. 2. *Ed.* GRAEVII *T.* I. *p.* 355. *Ed* RICHTERI. *T.* I. *p.* 525.

(5) Exſtat ille liber in *Theſ. Antiq. Rom.* GRAEVII *Tom.* II. *cf. ibi c.* 15. *p.* 1070. Leg. P. MANUTII *Comment. ad* CICERONIS *Or. p. Plancio. c.* 15. not. *de reject. judicum.* & *ad Or. pro Quintio. c.* 1. not. *C. Aquilli.*

quit (1), eſſem in plurimis cauſis & in principi-
„ bus patronis quinquennium fere verſatus, tum in pa-
„ trocinio Sicilienſi maxime in certamen veni *deſignatus*
„ *Aedilis cum deſignato Conſule* HORTENSIO."

Defendebatur Verres a Scipionibus & Metellis, & praeſertim „ *ab* HORTENSIO *ipſo*, *facile &*
„ *principe in Senatu propter nobilitatem*, *& in fo-*
„ *ro ob eloquentiam Rege cauſarum* (2)." Hujus igitur gloria quam maxime excitatus CICERO, omni labore, diligentia, & induſtria hanc cauſſam peregit: & HORTENSIUM, qui more ſuo, hujus hominis, familiaris ſui, defenſionem ſuſceperat, argumentorum bonitate & pondere ſuperavit.

§. XI.

HORTENSIUS, quem Conſulem deſignatum „*maxima frequentia & multitudo civium domum de-*
„*duxerat*" (3), cum Q. CAECILIO METELLO qui poſtea *Cretici* cognomine inclaruit, A. U. 684. magiſtratum hunc inivit, & per totum anni ſpatium pacatum in urbe habuit. Quid autem, HORTENSIO Conſule, in Romana Republica, etiam foris acciderit, legatur apud FREINSHEMIUM *in Suppl. Livian. L.* 98. *c.* 31—67. Cf. ANN. PIGHIAN. *ad h. Ann. T.* III. *p.* 312. FABRICIUS MARCOD. *in Vita Cicer. ad h. Annum.* & MIDDLETON. *l. l. T.* I. *S.* 2. *p.* 114. *ſeqq.*

P. MA-

(1) CICERO *in Brut. cap.* 92.
(2) ASCONIUS PEDIANUS, *Argum. Divin. ad Q. Caecilium.*
(3) CICERO *Verr. Act.* I. *c.* 7. *ibique* ERNESTI.

P. MANUTIUS ſcribit(4), HORTENSIO & METELLO *Conſulibus*, latam fuiſſe *Legem Aureliam*, quatres Ordines coeperunt judicare, Senatores, Equites, & Tribuni Aerarii, „ *cum*, inquit, Equites *ante*, *Lege* „ *Cornelia*, *per annos decem turpiter judicaſſent;*" & citat ASCONIUM PEDIANUM *ad* CICERONIS *Cornel.* I; & ſuum *de Romanis Legibus* librum.

Quod ſi verum eſſet, certe illud memorabile factum ſufficeret, quo Conſulatus HORTENSII illuſtraretur: ſed haec mihi parum accurate dicta videntur. Nam, primo: vix intelligo unde hic *Equitum* fiat mentio, quos, lege Cornelia, per decem annos turpiter judicaſſe dicit MANUTIUS; cum conſtet, *Senatoribus*, a Sulla, judicia fuiſſe reſtituta, quae C. Gracchus *Equitibus* dederat.

Deinde, in illo *de Romanis Legibus* libro, (5) copioſe quidem egit MANUTIUS, *de Legibus de Judiciis*, *Teſtimoniis & Indiciis*, ſed plane contraria concludit. En ipſius verba: „ Poſt victor Sulla, Di„ ctator primus Reipublicae conſtituendae cauſſa factus, „ *infenſus Equitibus*, quia pro Cinnanis partibus ſte„ terant, legem tulit, ut nemo, niſi qui *Senator* eſſet, „ judicare poſſet. — Sulla mortuo, quod ille ſanxerat, „ per annos undecim ſervatum eſt, hoc eſt, usque ad „ Cn. Pompeji & M. Craſſi primum Conſulatum: quo „ anno L. Aurelius Cotta praetor populum rogavit, „ po-

(4) *Comm. ad* CICER. *Epiſt. ad Div.* VIII. 2. *Ed.* GRAEVII *T.* I. *p.* 355. *Ed* RICHTERI. *T.* I. *p.* 525.

(5) Exſtat ille liber in *Theſ. Antiq. Rom.* GRAEVII *Tom.* II. *cf. ibi c.* 15. *p.* 1070. Leg. P. MANUTII *Comment. ad* CICERONIS *Or. p. Plancio. c.* 15. not. *de reject. judicum.* & *ad Or. pro Quintio. c.* 1. not. C. *Aquilli.*

„ populusque juſſit, ut tres Ordines, Senatores, „ Equites, Tribuni Aerarii, ſimul judicarent. — Tulit „ igitur de Piratico bello rogationem Gabinius Tri„ bunus Pl. Piſone & Glabrione Coſſ. At Cotta, „ cum rogationem *de Judiciis* eo anno tulerit, quo „ deſignatus Aedilis Cicero Verrem accuſavit, defen„ dente HORTENSIO *Conſule deſignato, plane vide„ tur eo anno tuliſſe, quo Pompejus & Craſſus Con„ ſules fuerunt.*"

In dicta igitur P. MANUTII nota, *ad Epiſt. ad Div.* VIII. 2. ſcribendum videtur, *Hortenſio & Metello Conſulibus* DESIGNATIS; & corrigendus error, in voce *Equites*, & pro ea legendum, *Senatores* (1).

§. XII.

In Provinciarum hujus anni ſortitione, Creta inſula, cum belli, quod tum Romani cum Cretenſibus gerebant, adminiſtratione, HORTENSIO ſorte obvenit: ſed urbe delectatus & foro, collegae Q. Metello ſuam detulit Provinciam (2), & Romae manſit. Et hactenus quidem res dubio vacat; ſed, cum hic locus non careat difficultate, paullo altius rem repetemus.

Quum HORTENSIUS, Conſul deſignatus, cauſſam Verris, contra Ciceronis accuſationem, defenderet, valde in-

(1) Leg. de hac AURELIA Lege ANT. AUGUSTINUS *de Legibus*, *in* voce AURELIA JUDICIARIA. *Theſ. Antiq.* GRAEVII *T.* II. *p.* 1181. Cf. ANN. PIGHIAN. *U.* 683. III. 311.

(2) Triennio hoc bellum confecit Metellus & triumphavit. EUTROPIUS *Hiſt. Lib.* VI. *c.* 11. & FLORUS *L.* III. *c.* 7. *in f.* & INTERPRETES *ad l. l.*

infesti *Cretensibus* erant Romani, ob belli societatem cum Piratis initam (3): & Senatus bellum iis inferre meditabatur. Haec *Consulum designatorum* etiam erat sententia, praesertim HORTENSII, qui dicebatur hoc negotium sibi voluisse arrogare: quod CICERO videtur indigitasse, cum per ironiam, his verbis, (4) Judices ad absolvendum *Verrem* impellit: „Retinete, „ retinete hominem in civitate, judices. parcite, & „ conservate, ut sit qui nobiscum res judicet: qui in „ Senatu sine ulla cupiditate de bello & pace sententiam ferat. — Verum veniat sane: *decernat bellum „ Cretensibus; liberet Byzantios; regem appellet „ Ptolemaeum; quae vult* HORTENSIUS, *omnia „ dicat & sentiat:* minus haec ad nos, minus ad vitae nostrae discrimen, minus ad fortunarum nostrarum „ periculum pertinent."

Hoc igitur loco usus est FREINSHEMIUS (5) ut probaret, „ Bellum Creticum, *culpa haud minima Q. „ Hortensii* esse conflatum, qui tum Consul designatus, „ provinciam eam sibi destinabat:" & HOTTOMANNUS (6) etiam affirmat, HORTENSIUM, designatum Consulem, Cretam fuisse *sortitum*: deceptus loco CICERONIS, quem, FULVIO URSINO & ERNESTO (7) testibus, omnino recte emendavit ANTONIUS AUGUSTINUS. Legitur enim apud CICERONEM: (8) „*Quas ob res, quid agis, Horten-*

„ *si?*

(3) Cf. PLUTARCHUS *in Vita Pomp. T.* I. 633. *F.*
(4) *Act.* II. *L.* 2. *c.* 31.
(5) *Suppl. Livian. L* 98. *c.* 84.
(6) *ad* CICER. *Verr. A.* II. *L.* 3. *c.* 95.
(7) *ad l. l.*
(8) *Act.* II. *L.* 3 *c.* 95.

„*ſi? Conſul es deſignatus : Provinciam* SORTITUS „*es.*" Cum autem certum ſit, ex *Lege Sempronia*, futuris Conſulibus *decretas* (1) quidem fuiſſe Provincias, non tamen, ante aditum Conſulatum, *ſortitionem* factam, legere maluit AUGUSTINUS, „*Quid agis*, „*Hortenſi? Conſul es deſignatus; Provinciam* SORTITURUS ES": & hoc certe modo res plana erit. HORTENSIO igitur Conſule deſignato, voluit quidem Senatus Cretenſibus bellum inferre; hic vero numquam cogitaſſe videtur de arroganda ſibi illa Provincia, quod erat omnino a toto ejus vitae more & ingenio alienum.

Poſt Conſulatum aditum, tempore conſueto, inter ſe Conſules ſunt ſortiti, &, cum tamen ſors ita caderet, collegae, cujus ingenium erat multo bellicoſius, Provinciam ceſſit HORTENSIUS: „Κληρουμένων δὴ τῶν ὑπάτων, „ Ὁρτήσιος τὸν πρὸς Κρῆτας ἔλαχε πόλεμον. ἀλλ' ἐκεῖνος „ μὲν ὑπό τε τῆς ἐν τῷ ἄσει φιλοχωρίας, καὶ ὑπὸ τῶν δικα- „ σηρίων, ἐν οἷς πλεῖσον τῶν κατ' αὐτὸν ἀνθρώπων μετά γε „ τὸν Κικέρωνα ἠδυνήθη, τῷ τε συνάρχοντι τῆς στρατιᾶς ἐθελον- „ τὴς ἐξέσῃ, καὶ αὐτὸς κατὰ χώραν ἔμεινεν." κ. τ. λ. (2) *id eſt*, „ Quum Conſules ſortirentur, HORTENSIO, „ ut bellum gereret cum Cretenſibus, obvenit. Sed „ is urbe delectatus & foro, in quo primum ſua aeta- „ te locum poſt Ciceronem obtinebat, collegae ultro „ exercitu ceſſit, ipſe in urbe remanſit."

§. XIII.

(1) Cf. CICERO *Or. de Prov. Conſul. c.* 7. SALLUSTIUS, *Bell. Jugurt. c.* 27. Leg. P. MANUTIUS *de Legibus c.* 10. *Theſ. Antiq.* GRAEV. *T.* II. *p.* 1055. *ſqq. Com. ad Ep. ad Div.* I. 7. §. 26. ubi longius diſſerit de illa *Lege Sempronia.*

(2) DIO CASSIUS *Fragm. n.* 178. *T.* I. *p* 75. *Ed. Reimari.*

§. XIII.

HORTENSIUS, qui per totam vitam, prudenti conſilio, propriam felicitatem cum publica utilitate conjungere ſtudebat, ita in Conſulatu ſapienter omnia egit, ut vix quid perfectius nobis fingere poſſimus. Nam, ut a Tribunis Plebis nihil metuendum haberet, cumque firmiter ſibi propoſuiſſet hunc ſuum Magiſtratum gerere graviter & libere; conſtituit, neque Provinciam, neque honorem, neque ornamentum aliquod, aut commodum, neque rem ullam, quae a Tribuno Plebis impediri poſſet, appetere: quod & ſibi in Conſulatu propoſitum fuiſſe, gloriatur CICERO. (3) Sciebat enim HORTENSIUS, Romanos acutos atque acres oculos habere, aures hebetiores: melius itaque ſibi, & populo Romano duxit, ſemper in ejus ore atque oculis verſari, effecitque, ut cives ſui poſtea quotidie ipſum praeſentem viderent: „ habitavitque (*verbis utor* CI-„ CERONIS (4)) in oculis: preſſit forum: nemi-„ nem ab ipſius congreſſu, neque ejus janitor, neque „ ſomnus abſterruit.”

CICERO quidem ſimiliter, ſtatim *Kalendis Januariis*, Conſulatum iniens, dixit, ſe in Provinciam non iturum (5); ſed non aeque omnem peregrinationem conſtanter recuſavit. In Cilicia enim Proconſul cum eſſet, doluit ſaepiſſime, ſe non in eadem ſententia permanſiſſe, & haec ad familiarem *M. Coelium*, Aedilem Curulem, ſcri-

(3) *Or. de Lege Agrar. contra Rullum.* I. 8.
(4) *Or. pro Plancio. c.* 27.
(5) *Or. de Leg. Agrar.* I. 8.

ſcripſit, (1) quae normam agendi noſtri HORTENSII continere videntur: „ Urbem, urbem, mi Rufe, cole, „ & in iſta luce vive. Omnis peregrinatio (quod ego ab „ adoleſcentia judicavi) obſcura & ſordida eſt iis, quo„ rum induſtria Romae poteſt illuſtris eſſe." Et in ſequentibus ingenue errorem ſuum confitetur: „ Quod „ cum probe ſcirem, utinam in ſententia permanſiſſem! „ Cum una mehercule ambulatiuncula, atque uno ſermo„ ne noſtro, omnes fructus provinciae non confero." Ex quibus efficitur, HORTENSIUM, hac ſaltem in parte, ſibi magis, quam ipſum CICERONEM, conſtitiſſe.

§. XIV.

Erat HORTENSIUS nunc *Conſularis*, & auctoritate munerum, quibus functus erat, & facundiae ſuavitate, & perſuadendi facultate, in Senatu facile princeps. Neque ab illa Optimatium parte, quam ſecutus erat, tunc receſſit; ſed potius pro eorum dignitate & ſalute fortiter pugnavit.

Cum enim, biennio poſt A. U. 686. C. CALPURNIO PISONE, & M'. ACILIO GLABRIONE *Coſſ.*, Piratarum audacia atque inſolentia omnem navigationem & commercium Romanorum interrumperet, tulit A. GABINIUS Trib. Pl. legem (2), ut CN. POMPEJO illud bellum mandaretur, cum ſummo imperio, per totum mare Mediterraneum, & ad omnes oras maritimas.

Displicebat haec lex principibus e Senatu, CATULO, HORTENSIO, aliisque; ſiquidem peſſimo exem-

plo,

(1) *Epiſt. ad Diverſ.* II. 12.

(2) Legantur ANN. PIGHIAN. *A. U.* 686. III. 314.

plo, per eam, uni civi nimia concederetur poteſtas (3), & legibus contraria, & publicae omnino libertati perniciosiſſima. HORTENSIUS igitur „ *in Senatu multa, pro ſumma copia ac ſingulari facultate dicendi, contra virum fortem A. Gabinium, graviter ornateque dixit.*" (4).

Cumque is tamen, de uno imperatore contra Praedones conſtituendo, legem promulgaſſet, in foro de Roſtris ad populum, permulta contra illam *Legem Gabiniam* verba fecit HORTENSIUS: ſed fruſtra. Neque ipſius, neque optimi Catuli voces audiebantur: „ univerſus populus Romanus referto foro, repletis„ que omnibus templis, — unum ſibi ad commune „ omnium gentium bellum *Cn. Pompejum* imperatorem „ depopoſcit. (5)

Tribuni Plebis nempe illo die recuperatae auctoritatis auctorem ornarunt; neque hoc erat, cui ſeſe opponerent HORTENSIUS & alii: concedebant, ſi omnia uni eſſent tribuenda, *Cn. Pompejum* digniſſimum eſſe, cui tribuerentur: ſed ad unum omnia deferri non

(3) PLUTARCHUS *in Vita Pomp. T.* I. 631. *F. dicit*, „ eam legem „ non claſſis, ſed plane in omnes mortales imperium & arbitrium „ conceſſiſſe liberum."

(4) CICERO *Or. pro Lege Manilia c.* 17: *&* *c.* 19. „ Bono te „ animo tum, Q. HORTENSI, populus Romanus, & ceteros, qui „ erant in eadem ſententia, dicere exiſtimavit ea, quae ſentieba„ tis: ſed tamen in ſalute communi idem populus Romanus dolori „ ſuo maluit, quam auctoritati veſtrae obtemperare. Itaque una „ lex, unus vir, unus annus, non modo nos illa miſeria ac turpitu„ dine liberavit: ſed etiam effecit, ut aliquando vere videremur „ omnibus gentibus & nationibus terra marique imperare".

(5) CICERO *Or. pro Lege Manilia. c.* 15.

non oportere ajebant (1); & Marii Sullaeque turbas & proſcriptiones inde repetebant, quod ſaepius, repetitis imperiis, majorem acquiſiviſſent potentiam, quam ut amplius legum judiciorumque acerbitatem pertimeſcerent (2).

§. XV.

Profligato feliciter per *Pompejum*, intra anni ſpatium, bello Piratico; felix hic rerum eventus non tamen prohibuit, quo minus HORTENSIUS paullo poſtea, in ſimili cauſſa, in eadem permaneret ſententia, *non omnia ad unum eſſe deferenda*.

Tulit ſcilicet, ſequenti A. U. 687. M. AEMILIO LEPIDO & L. VOLCATIO TULLO *Coſſ.*, ad populum C. MANILIUS Trib. Pleb., ut eidem *Pompejo* belli Mithridatici, quod per ſeptem fere annos L. Lucullus geſſerat, adminiſtratio decerneretur. CICERO, tum Praetor creatus, eam legem populo de Roſtris perſuaſit, quo tunc primum adſcendit, „ cum antea „ per aetatem nondum hujus auctoritatem loci attinge„ re auderet; ſtatueretque, nihil huc, niſi perfectum „ ingenio, elaboratum induſtria, afferri oporte„ re." (3) Oſtendit praecipue ea Oratione, quam magnum & periculoſum foret bellum, quamque perfectum abſolutumque belli ducem requireret: & in Pom-

(1) CICERO *Or. pro Lege Manilia. c.* 17.

(2) Leg. CICERO. *l. l. c.* 20. PLUTARCHUS *in Vita Pomp. T.* I. *p.* 632. *B.* VAL. MAX. *L.* VIII. *c.* 15. *E.* 9. & MIDDLETON *in Vita Cicer. Tom.* I. *S.* 2. *p.* 117 *ſqq.*

(3) CICERO *Or. pro Lege Manilia c.* 1.

Pompejo demonſtrat ea omnia eſſe, quibus perfectus cenſeatur imperator, fortitudinem, temperantiam & felicitatem (4).

Cum de illa rogatione in Senatu fuerat actum, diſſenſerant HORTENSIUS & CATULUS: quod CICERO ornate ad populum retulit, eorumque rationes refutavit: „ At enim, *inquiens*, (5) vir clariſſimus, „ amantiſſimus reipublicae, veſtris beneficiis ampliſſimis affectus, *Q. Catulus; itemque ſummis ornamentis honoris, fortunae, virtutis, ingenii praeditus*, Q. HORTENSIUS, ab hac ratione diſſentiunt: quorum ego auctoritatem apud vos multis locis plurimum valuiſſe, & valere oportere conſiteor; ſed in hac cauſa, tametſi cognoſcitis auctoritates contrarias virorum fortiſſimorum & clariſſimorum, tamen, omiſſis auctoritatibus, ipſa re & ratione exquirere poſſumus veritatem: atque hoc facilius, quod ea omnia, quae adhuc a me dicta ſunt, „ *iidem iſti vera eſſe concedunt, & neceſſarium bellum eſſe, & magnum, & in uno* CN. POMPEJO „ *ſumma eſſe omnia.* Quid igitur ait HORTENSIUS? *Si uni omnia tribuenda ſunt, unum digniſimum eſſe* POMPEJUM: *ſed ad unum tamen „ omnia deferri non oportere.* Obſolevit jam iſta oratio, re multo magis, quam verbis refutata."

Dein queſtus de miſerrima ſociorum & civitatum conditione, ex injuriis & libidine magiſtratuum, quos miſerant Romani, quibus neque civitas ulla ſancta, ne-

(4) Legatur CICERO *Or. pro Lege Manilia c.* 11. 15 & 16.
(5) CICERO *l. l. c.* 17.

neque domus ſatis clauſa, vel munita fuiſſet: & libenter ſe dicens, „ haec coram cum *Q. Catulo* & Q. „ HORTENSIO disputare, quippe *qui*, *ſummi* & „ *clariſſimi viri*, ſociorum vulnera noviſſent, eorum„ que calamitates viderent, & querimonias audi„ rent;" (1) graviter peroravit, & diſſentientibus quamvis HORTENSIO & CATULO, aliisque, iterum obtinuit, ut omnia ad unum POMPEJUM deferrentur.

§. XVI.

Deinde cum, iisdem Conſulibus M. Aemilio Lepido & L. Volcatio Tullo, deſignati in ſequentem annum U. 688. eſſent *P. Autronius Paetus* & *P. Cornelius Sulla*, ſed legibus *ambitus* interrogati, poenas dediſſent (2), L. MANLIUS TORQUATUS & L. AURELIUS COTTA, eorum competitores, iis ſucceſſerunt. Accuſaverat nempe *Sullam* adoleſcentulus *L. Torquatus*, Torquati Conſulis deſignati filius (3).

Eodem quoque tempore Catilina, qui poſt Praeturam Aſiam obtinuerat, inde redux, *pecuniarum repetundarum* reus erat factus, & a Conſulibus prohibitus ſuum nomen inter Conſulatus candidatos referre. (4)

Hanc iſte cauſſam arripuit ut Rempublicam peſſumdaret, & cum P. Autronio conſpiravit: cujus conjurationis etiam *Cn. Piſo*, adoleſcens nobilis, ſummae audaciae

(1) CICERO *Or. pro Lege Manilia c.* 22. cf. & *c.* 23.
(2) SALLUSTIUS *Bel. Catil. c.* 18.
(3) Cf. de eo CICERO *in Bruto. c.* 76.
(4) Cf. CICERO *Frag. Or. in Tog. Cand. Ed. Erneſt.* [T. IV. P. 2. p. 1052.

ciae (4), item, teste SUETONIO (5), M. Crassus & Julius Caesar, fuerunt conscii & participes; sed re cognita, consilium eorum frustratum est. (6)

Haec est quae dicitur *Prior Conjuratio Catilinaria*, de qua L. Torquatus *P. Sullam* etiam accusavit, cum A. U. 691. eundem ex Senatus Consulto, de *Conjurationis posterioris* conquirendis conjuratis facto, reum diceret.

Hujus conjurationis crimine Sullam, Ciceronis patrocinio liberatum fuisse, novimus: priori autem illi Torquati accusationi respondit HORTENSIUS, quo certe nemo melius id potuisset facere; siquidem summus amicus Consulis Torquati, & consiliorum ejus particeps, accurate omnia tenebat quae hisce diebus acciderant; praesertim, quinam in suspicione societatis cum conjuratis fuissent: „ Duae, *in-*
„ *quit* CICERO (7), " conjurationes abs te, *Tor-*
„ *quate*, constituuntur: una, quae *Lepido* & *Volca-*
„ *tio* consulibus, patre tuo consule designato, facta
„ esse dicitur: altera, quae me consule. Harum in
„ utraque Sullam dicis fuisse. Patris tui, fortissimi
„ viri atque optimi consulis, scis, me consiliis non
„ interfuisse: — Quis ergo intererat vestris consiliis?
„ omnes hi, quos vides huic adesse, & *in primis*
„ Q. HORTENSIUS: *qui cum propter honorem ac*
„ *dignitatem, atque animum eximium in republi-*
„ *cam, tum propter summam familiaritatem, sum-*
„ *mum-*

(4) Cf. SALLUSTIUS *Bel. Catil. c.* 18.
(5) *in Vita Caesaris c.* 9.
(6) Legantur SALLUSTIUS *Bel. Cat. c.* 18 *sq.* CICERO *Catil.* I. *cap.* 13. & SUETONIUS *in Vita Caesaris l. l.*
(7) *Or. pro P. Sulla c.* 4. *cf. & c.* 18.

„ *mumque amorem in patrem tuum, tum communi-*
„ *bus, tum praecipuis patris tui periculis commove-*
„ *batur*: Ergo iſtius conjurationis crimen defenſum
„ ab eo eſt, qui interfuit, qui cognovit, qui particeps
„ & conſilii veſtri fuit, & timoris, *cujus in hoc crimine*
„ *propulſando cum eſſet copioſiſſima atque ornatiſſima*
„ *oratio, tamen non minus inerat auctoritatis in ea,*
„ *quam facultatis.*"

§. XVII.

Ex Argumento *Asconiano* deperditarum Orationum Ciceronis pro C. CORNELIO, diſcimus & quanto honore ſequenti A. U. 688. fuerit HORTENSIUS, & qua auctoritate in Senatu.

C. Cornelius, qui ante biennium Tribunus Plebis fuerat, Piſone & Glabrione Conſulibus, (1) ob alias legum relationes repudiatas Senatui offenſus, legem promulgaverat, qua ejus auctoritatem valde inminuebat; ut nempe nemo, niſi per populum, legibus ſolveretur (2).

Indigne hanc legem ferebant optimates, & inter eos HORTENSIUS, quippe quae nimis plebis potentiam augeret, Senatusque dignitatem labefactaret. Invenerunt igitur *P. Servilium Globulum* Trib. Pl., qui Cornelio obſiſteret; quod fecit eo die quo lex erat ferenda; neque praeconem, ſubjiciente ſcriba verba legis populo re-

(1) Cf. ANN. PIGHIAN. *T.* III. *p.* 315.

(2) Hoc ita antiquitus obtinuerat; S. C. igitur hac de cauſſa ſolebat addi, ut de ea re ad populum ferretur. Sed paulatim hoc neglectum, & tandem nihil de rogatione ad populum ferenda additum; ita ut pauci ſaepe Senatores Senatus Conſulta facerent. Cf. ASCONIUS PEDIANUS *Arg. Or. pro C. Cornelio.*

recitare juſſum, pronunciare, neque ſcribam ſubjicere, paſſus eſt.

C. Cornelius, ira incenſus, oblitusque religionis interceſſionis Tribuniciae, codicem ipſe recitavit (3), fruſtra repugnante C. Piſone Conſule, cujus fasces fracti ſunt, & lapides in eum jacti. Qua de re cum in Senatu magnis contentionibus actum eſſet, tandem ſine tumultu res ita eſt compoſita, ut nemo in Senatu legibus ſolveretur, niſi ducenti Senatores affuiſſent; neve quis, cum ſolutus eſſet, intercederet, cum de ea re ad populum ferretur.

Perfuncto officio, C. Cornelius *majeſtatis* reus eſt factus: ſed a CICERONE hoc Anno 688. L. AURELIO COTTA & L. MANLIO TORQUATO *Coſ.* defenſus, ſumma arte & ſcientia, contra teſtimonia Q. HORTENSII, *Q. Catuli*, *Q. Metelli Pii*, *L. Lucculli*, *M. Lepidi*, aliorumque in Senatu potentiorum. (4)

Acta eſt haec cauſſa coram Tribunali *Q. Galli* Praetoris (5); in eaque *non fortibus modo, ſed etiam fulgentibus armis, praeliatus eſt Cicero*, teſte QUINCTILIANO, *de Inſt. Orat. Lib.* VIII. *cap.* 3. *p.* 679. Legantur ASCONIUS PEDIANUS *in fine Argum. Orat. pro C. Cornelio.* & MIDDLETON. *in vita Ciceronis. T.* I. *S.* 2. *p.* 137.

§. XVIII.

(3) Vid. QUINCTILIANUS *Inſt. Orat. L.* X. *c.* 5. *p.* 944.

(4) „ *Dixerunt autem hoc, vidiſſe ſe: cum Cornelius in Tribunatu* „ *Codicem pro Roſtris ipſe recitaret: — volebant videri, ſe judicare eam* „ *rem magnopere ad crimen imminutae majeſtatis tribuniciae pertinere.*" ASCON. PEDIAN. *Arg. Or. pro Cornelio.* Neque Cornelium codicem ipſum recitaſſe negavit CICERO, verum ideo nihil imminutam eſſe Tribuniciam poteſtatem defendit.

(5) Cf. ANN. FIGHIAN. *T.* III. 315. 317.

§. XVIII.

Cicero, qui ad propoſitum ſibi] finem honoris pervenerat, ſuo tempore Conſul creatus, A. U. 690. familiariſſime uſus eſt Q. HORTENSIO, fueruntque conjunctiſſimi omnium conſiliorum ſocietate. „ Itaque, *inquit ipſe* CICERO (1), cum jam paene evanuiſſet „ HORTENSIUS, & ego anno meo, ſexto autem „ poſt illum conſulem, conſul factus eſſem, revocare „ ſe ad induſtriam coepit: ne, cum pares honore „ eſſemus, aliqua re ſuperiores videremur. Sic duo„ decim poſt meum conſulatum annos in maximis „ cauſis, *cum ego mihi illum, ſibi me ille antefer*„ *ret, conjunctiſſime verſati ſumus:* conſulatusque „ meus, qui illum primo leviter perſtrinxerat, idem „ nos rerum mearum geſtarum, quas ille admirabatur, „ laude conjunxerat."

Noſtri non eſt inſtituti celebres hujus anni res geſtas repetere, & de HORTENSIO nil fere conſtat, niſi eum cum Cicerone Conſule defendiſſe C. RABIRIUM *perduellionis*, & L. MURENAM, ſequentis anni conſulem deſignatum, *ambitus* reum. Sed de hac cauſſa *ſequenti Sectione* videbimus.

P. Servilius Rullus Tribunus Pl. cum ante Kalend. Januarias magiſtratum ſuum iniiſſet, legem tulit *Agrariam*, cujus ſententiam cognoſcere licet ex Orationibus quas CICERO Conſul, *primam* in Senatu, *alteram* ad populum habuit, quibus oſtendit, eam le-

(1) *Brut. c. 94. init.*

legem populo, aerario, reipublicae universae perniciosam, minimeque popularem esse.

Rullus, a Cicerone saepe sollicitatus, ut coram cum eo de agri divisione disputaret, praesens hoc certamen contentionemque fugit; tacite vero Ciceronem accusavit, quasi legem *Agrariam* dissuaderet, ut gratiosus apud *principes civitatis*, *Sullae sectatores*, esset: quibus auditis, CICERO, justa ira commotus, *tertiam* habuit Orationem ad populum, in qua; „ Completi sunt, *inquit* (2), animi aures„ que vestrae, Quirites, me gratificantem SEPTEM „ TYRANNIS, *ceterisque Sullanarum assignatio„ num possessoribus*, Agrariae legi & commodis vestris „ obsistere: " Ubi TYRANNI verbum usurpavit, quod eo usi fuerant Tribuni Plebis, ad designandos partium Sullanarum Principes, qui a Sulla etiam donis ornati fuerant, & adhuc in vivis erant (3); *Lucullos*, *Crassum*, *Catulum*, HORTENSIUM, *Metellum* & *Philippum* (4). Ostendit praeterea CICERO, *Rullum*, hac lege, non modo non Sullanis agros adimere, sed potius eorum possessionem confirmare atque stabilire (5): quibus, cum populi animos confirmasset, perferendae legis consilium P. Rullus abjecit.

§. XIX.

De C. RABIRIO, ut hic nonnihil addam, necesse est: ha-

(2) *Or. de Lege Agraria contra Rullum.* III. 1.
(3) Cf. P. MANUTIUS & ERNESTI *ad l. l.*
(4) Cf. MIDDLETON. *in Vita Ciceronis T.* I. *S.* 3. *p.* 158.
(5) *Cf. Orat. de Lege Agraria.* III. 1. *& c.* 3.

habet enim HORTENSII defenſio aliquam cum ejus de Republica ſententia, conjunctionem. C. Rabirius ſcilicet, poſt ſex & triginta annos, *perduellionis* reus factus erat, ob interfectum Tribunum Plebis *Saturninum*, qui C. MARIO & L. VALERIO *Coſſ.*, ex Senatus Conſulto vita erat privatus.

Jam per hujus infelicis ſenis condemnationem, volebant *Tribuni* Senatui eripere illud jus, quod ipſorum ſanctitatem quaſi ſubmittebat Senatus decreto; quum Conſules juberentur cavere, *ne Respublica detrimenti quid caperet.* (1)

HORTENSIUS igitur, cum aeque ac CICERO, hoc ſemel conceſſo, plurima inde praevideret mala; defenſionem C. Rabirii libenter ſuſcepit, docuitque, *Saturninum* ab eo interfectum non fuiſſe. Cum nihilominus tamen eum condemnaviſſet *Julius Caeſar*, hac cauſſa duumvir, & Rabirius deinde ad populum provocaſſet, CICERO ejus cauſſam ante comitia in concione populi oravit, ut & ſua auctoritate, periculoſiſſimis his Tribunorum Plebis conatibus reſiſteret.

Cumque haec *Saturnino* Tribuno Pleb. illata nex, CICERONI pulcherrimum facinus videretur, ſaepius in ipſa Oratione queſtus eſt, hujus rei ſuſpicionem jam per HORTENSIUM a C. Rabirio fuiſſe depulſam; ſic enim accuſatorem *T. Labienum* Trib. Pl. alloquitur (2): „ Arguis, occiſum eſſe a C. Rabirio L. „ Saturninum: & id C. Rabirius multorum teſtimoniis, „ Q. HORTENSIO *copioſiſſime defendente*, antea fal-

„ ſum

(1) Cf. CICERO *Or. pro C. Rabirio. c.* 1. & 2.
(2) CICERO *Or. pro C. Rabirio c.* 6. *cf.* & *c.* 11.

„ ſum eſſe docuit. Ego autem, ſi mihi eſſet inte-
„ grum, ſuſciperem hoc crimen, agnoſcerem, confi-
„ terer. Utinam hanc mihi facultatem cauſa conce-
„ deret, ut poſſem hoc praedicare, C. Rabirii ma-
„ nu, L. Saturninum, hoſtem populi Romani inter-
„ fectum!" —

§. XX.

Sequitur A. U. 691. quo D. JUNIO SILANO & L. MURENA *Coſſ.* accuſatus eſt P. CORNELIUS SULLA a L. Torquato, de duabus Conjurationibus Catilinariis. (uti vid. §. XVI.) Hunc, L. Sullae Dictatoris propinquum, in illius turbulenta proſcriptione, valde mitem & multorum vitam a Sulla deprecatum fuiſſe, teſtatur CICERO. (3)

HORTENSIUS itaque ad induſtriam, poſt Ciceronis conſulatum, revocatus, cum illo Sullam defendit; quod ideo hic repeto, cum in Ciceronis pulcherrima Oratione multa exſtent loca, quae de HORTENSII auctoritate & gravitate in Senatu magnifice ſonent, ſimulque omnis ſimultatis, inter ſummos hos Oratores, dubitationem, omnino tollant. „ Quid enim eſt, *inquit* CICERO (4), L. Torquate,
„ quamobrem abs te Q. HORTENSII factum, *cla-*
„ *riſſimi viri atque ornatiſſimi civis*, non reprehenda-
„ tur, reprehendatur meum? — Quare iſta conjura-
„ tio, ſi patefacta per me eſt, tam patet HORTEN-
„ SIO,

(3) *Or. pro P. Sulla. c.* 26.
(4) CICERO *l. l. c.* 1. & 2. *add. c.* 4. 5. & 7.

„ sio, quam mihi. *quem cum videas, hoc honore,*
„ *auctoritate, virtute, consilio praeditum, non dubi-*
„ *tasse, quin innocentem P. Sullam defenderet:*
„ quaero, cur, qui aditus ad causam HORTENSIO
„ patuerit, mihi intercluſus esse debuerit." Quibus verbis certe, nec amantius, nec honorificentius, a CICERONE quidquam de HORTENSIO dici potuit.

§. XXI.

Memorabilis in Romanorum historia succedit annus, qui tot ac tam gravium malorum causſa exstitit, & optimis civibus aerumnosus fuit. Est enim ille, quo M. PUPIO PISONE & M. VALERIO MESSALA *Coss.*, P. CLODIUS *Bonae Deae* sacra violavit, quod facinus vehementer Senatum turbavit. Celebris praeterea hic annus est, *Cn. Pompeji* reditu, a bello Mithridatico.

Sed, cum teste CORNELIO NEPOTE (1), „is,
„ qui sexdecim volumina Epistolarum, ab consulatu
„ usque ad extremum tempus a CICERONE ad ATTICUM missarum, legat, non multum desideret hi-
„ storiam contextam eorum temporum;" (2) nobis liceat iis praesertim diligenter uti, ut HORTENSII fa-

(1) *in Vita Attici c.* 16. Cf. JAC. TUNSTALLI *Epist. ad* CON. MIDDLETON. *p.* 2.

(2) „ Sic enim omnia de studiis principum, vitiis ducum, mu-
„ tationibus Reipublicae perscripta sunt, ut nihil in iis non appa-
„ reat, & facile existimari possit, prudentiam quodammodo esse
„ divinationem. Non enim CICERO ea solum, quae vivo se ac-
„ ciderunt, futura praedixit: sed etiam, quae nunc usu veniunt, ce-
„ cinit, ut vates." *Verba sunt* CORNELII NEPOTIS *l. l.*

facta in his difficillimis temporibus cognoſcamus, & ab aliorum injuriis vindicemus.

Ipſis Kalendis Januariis A. U. 692. ad Atticum ſcribit CICERO: (3) „ P. Clodium, Appii F. credo te „ audiſſe, cum veſte muliebri deprehenſum domi C. Cae- „ ſaris, cum pro populo fieret, eumque per manus „ ſervulae ſervatum & eductum; rem eſſe inſigni infa- „ mia: quod te moleſte ferre, certo ſcio."

Ultimis igitur praecedentis Anni 691. diebus, hoc facinus perpetraverat CLODIUS, quod brevi ab omnibus civibus cognitum, religioſo horrore optimorum & plebis mentes perfudit. Mentio hujus rei in Senatu a Q. Cornificio facta eſt, & ex Senatus Conſulto ad Pontifices relata, qui illud nefas eſſe decreverunt. Cum hoc audiſſet Senatus, Senatus Conſulto Conſules juſſit, ut rogationem promulgarent; & jam tum, *a. d.* VI. *Kalend. Februarii*, CICERO metuebat, „ ne haec neglecta a bonis, defenſa ab improbis, „ magnorum Reipublicae malorum cauſa eſſent futu- „ ra." (4) Cum igitur dies, rogationi ex Senatus Conſulto ferendae, veniſſet, multum CLODIANI enitebantur, ut antiquaretur, & M. Piſo Conſul, cui rogationis ferendae officium obtigerat, idem erat Legis diſſuaſor.

„ Operae Clodianae, *ait* CICERO (5), pontes „ occuparant. tabellae miniſtrabantur ita, ut nulla „ daretur UTI ROGAS. Hic tibi Roſtra Cato advo- „ lat, convicium Piſoni Conſuli mirificum facit. — „ *Accedit eodem etiam noſter* HORTENSIUS, *multi* „ *praeterea boni.*"

Co-

(3) *Ep. ad Att.* I. 12.
(4) CICERO *l. l.* I. 13.
(5) *Epiſt. ad Att.* I. 14.

Comitiis dimiſſis Senatus vocabatur, eoque frequenti decernebatur, ut Conſules populum cohortarentur ad rogationem accipiendam. Sic res acta eſt, Fufio Tribuno Pl. concedente. CLODIUS autem, interim conciones miſeras habebat, in quibus *Lucullum*, HORTENSIUM, *C. Piſonem*, *Meſſalam* Conſulem, contumelioſe laedebat, & CICERONEM omnia tantum *comperiſſe* criminabatur. (1)

§. XXII.

Clodio contra omnium exſpectationem abſoluto, quaerenti Attico, quid accidiſſet de hoc judicio, reſpondit CICERO, (2) ſimul explicans quare in illo minus praeliatus eſſet: „ Poſtea vero, *inquit*, „ quam HORTENSIUS *excogitavit*, *ut legem de re-* „ *ligione Fufius Tribunus Plebis ferret*; in qua nihil „ aliud a conſulari rogatione differebat, niſi judicum „ genus; (in eo autem erant omnia;) pugnavitque, „ ut ita fieret: *quod & ſibi & aliis perſuaſerat*, *nul-* „ *lis illum judicibus effugere poſſe:* contraxi vela, „ perſpiciens inopiam judicum; neque dixi quicquam „ pro teſtimonio, niſi quod erat ita notum atque te- „ ſtatum, ut non poſſem praeterire. itaque, ſi cau- „ ſam quaeris abſolutionis, — egeſtas judicum fuit, „ & turpitudo. Id autem ut accideret, commiſſum „ eſt HORTENSII conſilio: qui dum veritus eſt, „ ne *Fufius* ei legi intercederet, quae ex Senatus Con- „ ſulto ferebatur, non vidit illud ſatius eſſe, illum in „ in-

(1) CICERO *Epiſt. ad Att. L. I. E. 14.* data *Idibus Februarii*, *Cf.* ERNESTI *ad h. l. & Epiſt. ad Div. V. 5.*

(2) *ad Att. l. 16.*

„ infamia relinqui ac ſordibus, quam infirmo judicio
„ committi. ſed ductus odio properavit rem dedu-
„ cere in judicium; cum *illum plumbeo gladio jugu-*
„ *laturum iri tamen diceret.* Sed judicium, ſi quae-
„ ris, quale fuerit; incredibili exitu; ſic, uti nunc
„ ex eventu ab aliis, a me tamen ex ipſo initio con-
„ ſilium HORTENSII reprehendebatur". (3)

CASAUBONUS hunc locum interpretatus, dicit, a *Fuſio* fucum factum fuiſſe HORTENSIO & *aliis incautis Senatoribus*, cum videret difficulter CLODIUM ſalvum poſſe evadere, ſi illa rogatio acciperetur. *Fufius* igitur, uti CASAUBONUS vult, HORTENSIO perſuaſit, ſe boni publici cauſſa velle ferre rogationem, qua idem efficeretur atque illa conſulari, quod ſic eam compoſuiſſet, ut ex lege Fufii judices ordinarii eſſent de Clodio cognituri, cum ex Senatus rogatione populus, vel alius quis extra ordinem, ex Senatus Conſulto, vel Plebiſcito, fuiſſet judicaturus: in eo autem erant omnia; „*quod* inquit, *cum non vide-*
„ *ret* HORTENSIUS, *quae fuit ejus imprudentia,*
„ *paſſus eſt ſibi fucum fieri, & os oblini.*"

Haec vero imprudentiae criminatio, in HORTENSIUM odioſa, videtur hac in cauſſa non ſatis juſta: quare potius cum MIDDLETONO (4) facio, qui illud prudenter ab HORTENSIO excogitatum fuiſſe dicit, ne ex hac contentione novae orirentur discordiae, quibus tranquillitas Reipublicae magis magisque turbaretur, & quarum favore ſine judicio Clodius evaderet. Ita enim ſibi de hujus ſceleris atrocitate, at-

(3) Leg. FERRATIUS *Epiſt. L.* II. *Ep.* 9. *p.* 106.
(4) *in Vita* CICERONIS *T.* I. *S.* 4. *p.* 254.

atque indignatione publica, perſuaſum habuiſſe HORTENSIUM, ut non dubitaret quin iſte condemnaretur, cuicumque tandem judici fuiſſet traditus: *plumbeo enim illum gladio jugulaturum iri* dicebat.

In laudato *Epiſt.* 16. loco, & in tota hujus judicii narratione apud CICERONEM, nihil de hac *Fufii* arte ad circumveniendum HORTENSIUM, legimus, contra aperte dicit: HORTENSIUS *excogitavit, ut legem de religione Fufius ferret* — et, *ſibi & aliis perſuaſerat, nullis illum judicibus effugere poſſe.* Tandem, paullo poſt in eadem hac *Epiſt.* 16. „ hic, *inquit*, ut „ quaeque res ad conſilium primis poſtulationibus referebatur, incredibilis erat ſeveritas, nulla varietate ſententiarum: nihil impetrarat reus: plus accuſatori „ dabatur, quam poſtulabat: *triumphabat* (quid quaeris?) HORTENSIUS *ſe vidiſſe tantum:* nemo „ erat, qui illum reum, ac non millies condemnatum „ arbitraretur." Hoc tamen ſecus evenit; judicibus enim omnibus modis corruptis, abſolutus eſt fceleſtiſſimus Clodius.

§. XXIII.

Altera hoc anno incidit criminatio; HORTENSIUM videlicet in rogatione conſulari de Clodio, *ſubdole atque in Ciceronem malevole ſeſe geſſiſſe:* qua de re quid ſit judicandum, nunc videamus.

CICERO *a. d.* VI. *Kalend. Februarii* ad Atticum ſcribens, (1) quid Romae & in Senatu, primis con-

ven-

(1) *Ep. ad Att.* I. 13.

ventionibus actum esset, gratulatur se non primum a Consulibus sententiam rogatum esse, sed secundum habuisse locum: „qui auctoritatem habebat paene principis, & voluntatem non nimis devinctam beneficio „ Consulis. Tertius est, *ita pergit*, Catulus, quar„ tus, (si etiam hoc quaeris) HORTENSIUS." Narrat deinde primas de Clodii facinore in Senatu contentiones, & tandem addit: „Quid multa? vereor, ne „ haec, neglecta a bonis, defensa ab improbis, ma„ gnorum reipublicae malorum causa sint:" Sequuntur nunc acerbissima haec:

„ *Tuus autem ille amicus, (scin' quem dicam?)*
„ *de quo tu ad me scripsisti*, postea quam non auderet
„ reprehendere, laudare coepisse, *nos, ut ostendit,*
„ *admodum diligit, amplectitur, amat, aperte lau-*
„ *dat; occulte, sed ita, ut perspicuum sit, invidet.*
„ *nihil come, nihil simplex, nihil* ἐν τοῖς πολιτικοῖς
„ *honestum, nihil illustre, nihil forte, nihil liberum.*
„ *Sed haec ad te scribam alias subtilius. nam neque*
„ *adhuc mihi satis nota sunt: & huic, terrae filio,*
„ *nescio cui, committere epistolam tantis de rebus*
„ *non audeo.*"

Haec CICERONIS verba, P. Manutius, Corradus, Casaubonus, Gronovius, aliique Interpretes, intellexerunt de POMPEJO, a bello Mithridatico reverso, & omnibus gratiosis tum temporis servienti, ut ejus acta bello Mithridatico confirmarent: eosque Interpretes secutus est MIDDLETONUS. (2)

Re-

(2) *in Vita* CICERONIS *T.* I. *S.* 4. *p.* 266. Sic etiam C. M. WIELAND, in Versione Germanica omnium Epistolarum CICERONIS, *ad h. l.* (*L.* 1. *Ep.* 17. *not.* 64. *T.* I. *p.* 283 *seqq.*) dicit:

„ *Daß*

Reprehendit autem hoc JACOBUS TUNSTALLUS, qui eruditiſſima ad eum ſcripta Epiſtola, inter plures ejus, quos animadvertere ſibi viſus eſt, errores, etiam hunc retulit, & CICERONIS locum de HORTENSIO intelligendum eſſe dixit; miratus praeterea, neminem, quod quidem noverit, in hanc cogitationem incidiſſe, *cum tamen*, ut ait, *in hunc ita apte cadant omnia, ut nihil ſupra* (1).

Primum argumentum quo utitur, huc redit; „POMPEJUM, confecto bello Mithridatico, nondum ad urbem adveniſſe; *nam*, inquit, *de prima ejus concione dicitur, Epiſt.* 14." Hoc verum quidem eſt, & fatemur de *prima* illa *concione* in hac Epiſtola, quae *Idibus Februarii* ſcripta eſt, ſermonem eſſe; ſed merito dubitamus, utrum illa tum primum habita ſit, quando CICERO ad amicum ſcribebat. Certe ipſius CICERONIS verba, quae hic multum lucis afferunt, nos dubitare faciunt: „Prima, *inquit*, concio Pompeji „ qualis fuiſſet, *ſcripſi ad te antea*, non jucunda „ miſeris, inanis improbis, beatis non grata, bonis „ non gravis, itaque frigebat." (2)

Scripſerat igitur de ea concione jam antea ad Atticum, & quamvis concedamus POMPEJUM nondum *Kalendis Januariis* ad Urbem adveniſſe, (3) inde non ſequitur,

„*Daß in dieſer merkwürdigen Stelle von* POMPEJUS *die Rede ſey, iſt keinen Zweifel unterworfen.*" Cf. SAINT-RÉAL in Verſione Gallica *Libr.* I. & II. Epiſt. ad Atticum, ad hanc *Epiſt. n.* 186 *Oper. T.* III *Part.* 2. *p.* 475.

(1) JAC. TUNSTALLUS *Epiſt. ad Con. Middleton. p.* 35 & 36.
(2) *Ep. ad Att.* I. 14.
(3) *ex Epiſt. ad Att. L.* I. *Ep.* 12.

tur, eum ibi non fuiſſe, a. d. VI. *Kal. Februarii*; quod nobis verius videtur, ſi attendamus quibus diebus *Epiſt.* 13 & 14. ſcriptae ſint.

„ Certe Atticus, (alterum hoc eſt TUNSTALLI „ argumentum) qui in Graecia erat, nihil *de urbanis* „ POMPEJI *actionibus* audire potuerat, itaque ſcri- „ bere, *poſteaquam non auderet reprehendere, lau-* „ *dare coepiſſe* (Ciceronem)."

Intelligit igitur hanc Attici Epiſtolae partem, de alicujus *urbanis actionibus*; quod unde efficiatur, non video. Videtur autem res hoc modo explicari poſſe: Atticum Roma decedentem in POMPEJUM, ex Aſia reducem, incidiſſe, & de hac conventione ad Ciceronem ſcripſiſſe unam ex *tribus illis Epiſtolis*, quas Ciceronem accepiſſe legimus, in initio hujus *Epiſt.* 13. in eaque uſum eſſe his verbis; *poſteaquam non auderet reprehendere, laudare coepiſſe.*

Collocuti forte erant inter ſe de urbanis rebus, de CICERONIS illuſtri conſulatu, & aliis; & hac occaſione POMPEJUS, etſi occulte ob ipſas has res egregie geſtas, & ſummam auctoritatem, Ciceroni invideret, tamen hunc coram Attico laudaſſe videtur.

§. XXIV.

His vero argumentis, quae TUNSTALLO videbantur probare POMPEJUM non intelligi, plura addit de HORTENSIO, de quibus ſingulatim dicere longum foret; quare paucis exponam, cur haec ſententia mihi minus probabilis videatur.

Eo maxime pertinet ſententiarum in illa Epiſtola 13. & ſequenti 14. conſecutio & diſpoſitio. HORTEN-

SII fecerat CICERO nominatim mentionem, &, quid de Clodio actum esset in Senatu, retulerat. Ad alia nunc pergens respondet ad Epistolam *Attici*, & confirmat quod hic de *amico illo malevolo* scripserat, promittitque se de ea re *subtilius* scripturum. Haec itaque postrema a prioribus separanda, neque, quae de Clodiana re, *magnorum malorum caussa futura*, scripserat Cicero, videntur cum hisce de illo *perfido & malevolo amico*, conjungenda esse (1), uti *Vir Doctus* volebat: & in HORTENSIUM quidem haec eo minus cadunt, quod non tantopere ac POMPEJUS metuendus, neque de eo *subtiliter* scribere erat opus.

Atticus etiam, qui intime Q. HORTENSIO utebatur, „*ut intelligi non posset, uter eum plus diligeret, Cicero an* HORTENSIUS," talia Ciceroni scribendo, de occulta amici HORTENSII invidia, difficillime hoc „difficillimum effeciisset, ut, inter quos „tanta laudis esset aemulatio, *nulla intercederet* „*obtrectatio, essetque talium virorum copula.*" (2) Temere itaque, & contra omnem veri speciem, Attici verba hunc in sensum videntur explicari, quippe quae, & ab ejus persona, & magis adhuc ab eo, tum non Romae, sed in Graecia degente, aliena essent.

Contra, si accuratius omnia hujus accusationis verba examinemus, melius in POMPEJUM cadunt, praesertim illa in fine: „*sed haec ad te scribam alias sub-*

(1) Idem sentit SAINT-REAL, in *Vers. Gall. Libr.* I & II. *Ep. ad Atticum*, uti videre licet, *Oper. T.* III. *Part.* 2. *p.* 468.

(2) CORN. NEPOS *in Vita Attici c.* 5. „Q. HORTENSIUS, „his temporibus principatum eloquentiae tenebat." *inquit* NEPOS *l. l.*

„ *ſubtilius*, *nam* neque adhuc mihi ſatis nota ſunt, „ *& huic terrae filio*, *neſcio cui*, *committere epiſto-* „ *lam*, *tantis de rebus*, *non audeo.*" quippe non ſatis nota erant Ciceroni, quae POMPEJUS machinaretur, cum ille tantum nuper admodum rediiſſet; HORTENSII autem geſta & dicta ab omnibus cognoſci poterant. In POMPEJUM ergo optime, in HORTENSIUM minus bene, conveniunt haec Ciceronis verba (3).

Neque de *Lege Fuſiana* aliquid *inaudiverat* CICERO, ut TUNSTALLUS *l. l.* ſcribit, ſiquidem ejus in Senatu eo tempore nondum mentio erat facta, uti ex *ſeq. Epiſt.* 14. demonſtrari poteſt. Porro, ſi *diteſcentis & obſcurae invidiae atque malevolentiae indicia in* HORTENSIO *jam Ciceroni comparuerant*; unde igitur haec quae in *Epiſt.* 14. poſtea ſcripta occurrunt? „ *Acceſſit etiam* noſter HOR- „ TENSIUS, *multi praeterea boni*". Tandem in *Epiſt.* 16., quae judicii Clodiani & abſolutionis hiſtoriam continet, non odii ex detecta invidia & malevolentia orti, ſed tantum diverſae in re graviſſima ſententiae teſtificationes occurrunt.

Reliqua quae TUNSTALLUS attulit argumenta, non magis quaeſtionem dirimere videntur, cum loca quae affert, non ad hoc, de quo nunc loquimur, temporis momentum pertineant: quare, ſi mihi a *Viro Do-*

(3) POMPEJUS ex Aſia redux, nondum certam in Republica ſententiam erat amplexus, uti ex *Epiſt.* 14. mihi apertum eſſe videtur. CICERO geſti Conſulatus auctoritate florentiſſimus erat, & CLODIANI timebant, ne huic ponderi accederet POMPEJI potentia; itaque eum a Cicerone avellere conabantur.

Doctiſſimo & ab *Erneſto* (1) diſſentire liceat, POMPEJUM omnino, nequaquam vero HORTENSIUM, in laudata *Epiſt.* 13. a Cicerone indigitari putem.

§. XXV.

Deinde, quum comitia deſignandis ſequentis anni Conſulibus haberentur, POMPEJUS impenſe favebat L. AFRANIO Auli filio „atque in eo neque auctori-„ tate, neque gratia pugnabat, ſed quibus Philippus „ omnia caſtella expugnari poſſe dicebat, in quae „ modo aſellus onuſtus auro poſſet aſcendere;" (2) & eo quidem ſucceſſu, ut fruſtra renitentibus omnibus bonis, is Conſul imponeretur, quem nemo, teſte eodem CICERONE, (3) praeter philoſophum, aſpicere ſine ſuſpiratu poſſet: unde etiam *Kalend. Februarii* A. U. 693. ad Atticum ſcribit: „ut breviter, quae poſt „ tuum diſceſſum acta ſunt, colligam, jam exclames „ neceſſe eſt, *res Romanas diutius ſtare non poſſe.*"

Quae cum etiam HORTENSIO & aliis Principibus Senatus viderentur, & hi intelligerent, bonis omnibus, qui huic corruptelae civitatis ſeſe vellent opponere, exitium imminere, a publicis negotiis ſibi abſtinendum, & forte in villis, honeſto in otio, fortunatiora exſpectanda tempora, judicarunt.

CICERO tamen, qui ſibi & aliis civibus videbatur magno hiſce temporibus adjumento Reipublicae eſſe poſ-

(1) „HORTENSIUM, inquit, *intelligit* Tunſtallus, *p.* 36. „*rectius quam alii, qui* POMPEJUM *intelligunt.*" ad *Ep. ad Att. L.* I. *Epiſt.* 13. *nota* 51.

(2) CICERO *Epiſt. ad Att.* I. 16.

(3) *ad Att.* I. 18.

poſſe, Pompejo conjunctior, minime probabat aliorum deſperationem, eosque ignaviae accuſabat: „nam cae„ teros, *inquit*, (4) jam noſti: qui ita ſunt ſtulti, „ ut amiſſa Republica *piſcinas ſuas* fore ſalvas ſpe„ rare videantur."

Habebant nempe Q. HORTENSIUS, *L. Lucullus*, *L. Philippus*, aliique viri principes in Republica, ut tum erant tempora, ad luxuriam degenerante, in villis ſuis piſcinas magna pecunia aedificatas; HORTENSIUS magnificentiſſimas habebat *ad Baulos*. (5) His

(4) *Epiſt. ad Att.* I. 18: adde *L.* II. 1. „ *noſtri autem principes digito ſe coelum putent attingere, ſi mulli barbati in piſcinis ſint, qui ad manum accedant; alia autem negligant*": Vid. *ad Att.* II. 9.

(5) Celeberrima fuit haec HORTENSII villa, magnificis piſcinis; in alia quam in *Agro Laurenti* habebat, ingentes ferarum greges alebat. Villa *ad Baulos*, erat *in parte Bajana*; PLINIUS *Hiſt. Nat.* IX. 55. *promontorium Miſenum inter & Bajanum lacum flexo mari alluebatur.* TACITUS *Ann.* XIV. 4. Illi maxime ut videtur ſtudebat, & prae aliis villis ibi degebat plurimum. Disputarunt etiam *in* HORTENSII *villa*, *quae eſt ad Baulos*, cum eo Catulus & Lucullus & Cicero veniſſent. Cf. CICERO *Acad.* IV. 3. & 40. Poſſedit hoc *Puteolanum* praedium poſtea SYMMACHUS: indeque canit *Epiſt. L.* I. *E.* 1.

Huc Deus Alcides ſtabulanda armenta coegit,
Eruta Geryonis de lare tergemini.
Inde recens aetas corrupta Boaulia Baulos
Nuncupat, occulto nominis indicio.
Ab, Divo ad proceres dominos fortuna cucurrit,
Fama loci obſcuros ne pateretur heros.
Hanc celebravit opum felix HORTENSIUS aulam,
Contra *Arpinatem* qui ſtetit eloquio.

M. TERENTIUS VARRO, qui Ciceroni & HORTENSIO noſtro erat familiaris, doctiſſimus Romanorum, in libro quem de *Re Ruſtica* ſcripſit, *L.* III. *c.* 17. *Axium* Senatorem, diſſerentem

His ita tum plerique delectabantur, ut omnem de Republica curam viderentur abjeciſſe; quod Ciceroni minus placebat, qui ad Atticum ſcribens, non quidem nomi-

na-

inducit, de duobus *piſcinarum* generibus, dulcium & ſalſarum, ibique haec omnino notanda refert: „ Q. HORTENSIUS *familiaris* „ *noſter*, cum *piscinas* haberet magna pecunia aedificatas AD BAULOS, „ ita ſaepe cum eo ad villam fui, ut illum ſciam ſemper in coenam „ pisces Puteolos mittere emtum ſolitum. Neque ſatis erat eum „ non paſci piſcinis, niſi eos ipſe paſceret ultro; ac majorem cu- „ ram ſibi haberet, ne ejus eſurirent mulli, quam ego habeo, ne „ mei in Roſea eſuriant aſini; & quidem utraque re, & cibo, & „ potione, cum non paullo ſumptuoſius, quam ego his miniſtraret „ victum. Ego enim uno ſervulo, ordeo non multo, aqua dome- „ ſtica, meos multinumos alo aſinos: HORTENSIUS primum qui „ miniſtrarent piſcatores habebat complures, & ii piſciculos minutos „ aggerebant frequenter, ut a majoribus abſumerentur. Praeterea „ ſalſamenta in eas piſcinas emtitia conjiciebat, cum mare turba- „ ret, uti per tempeſtatem ſuis piſcibus e macello cetariorum, „ uti e mari, obſonium praeberet, cum neque everriculo illi in „ litus educere poſſent vivam ſaginam, plebeiae coenae pisces. „ Celerius voluntate HORTENSII ex equili educeres rhedarias, „ ut tibi haberes, mulas, quam e piſcina barbatum mullum. At, „ inquit ille, non minor cura ejus erat de aegrotis piſcibus, quam „ de minus valentibus ſervis; itaque minus laborabat, ne ſer- „ vus aeger, quam aquam frigidam biberent ſui pisces. Ete- „ nim hac incuria laborare ajebat M. Lucullum, & piſcinas „ ejus deſpiciebat, quod aeſtivaria idonea non haberet, ac reſidem „ aquam, & locis peſtilentibus habitarent pisces ejus." Legantur VARRO. *de R. R.* III. 3. SALLUSTIUS *Bel. Cat. cap.* 12. CICERO *Parad.* V. 2. & PLINIUS *Hiſt. Nat.* IX. 54. & *cap.* 55. ubi narrat, HORTENSIUM *adeo murenam dilexiſſe, ut exanimatam fleſſe credatur:* verum potius fidem habemus PORPHYRIO, *de Abſtin. L.* III. *cap.* 5. TZETZAE *Chil.* VIII. *Hiſt.* 173. & MACROBIO *Saturn.* II. 11. (III. 15.) L. Craſſum, hujus imbecillitatis ſpectaculum dediſſe, affirmantibus; quibus ut credamus, praeſertim facit hujus facti plenior apud MACROBIUM *l. l.* narratio.

natim de illis queritur, ſed eos oblique, *piſcinariorum* & *piſcinarum Tritonum* appellatione, ridet. (1)

Credebat praeterea Cicero eos ſibi invidere: quare Pompeji amicitiam magis magisque ſibi expetendam duxit. „Poſteaquam, *inquit*, (2) primum Clodii ab„ ſolutione levitatem infirmitatemque judiciorum per„ ſpexi, deinde vidi, noſtros publicanos facile a Se„ natu disjungi, quamquam a me ipſo non divellerentur, *tum autem beatos homines* (*hos* piſcinarios *dico*, „ *amicos tuos*) *non obſcure nobis invidere*: putavi, „ mihi majoris quasdam opes & firmiora praeſidia eſſe „ quaerenda." Dein, nonnullis de *Pompejo* interjectis, addit: „Cum eo ego me tanta familiaritate conjunxi, ut „ uterque noſtrûm, in ſua ratione munitior, & in „ republica firmior hac conjunctione eſſe poſſit."

De hac tamen conjunctione in longe alia opinione verſabantur HORTENSIUS, caeterique, qui ſemper Optimatium partes ſecuti, cognita *Cn. Pompeji* indole, non intelligebant, qua ratione illarum partium ſtudium cum hujus populari levitate conjungerent.

§. XXVI.

Videtur etiam ex *Epiſtola* 20. *hujus Libri Primi* colligi poſſe, Atticum ad *Ciceronem* de hac Pompejana ſocietate ſcripſiſſe, & dubitaſſe de optimatium *ſtultitia* &

(1) MACROBIUS *Saturn. Lib.* II. *c* 11. (*L.* III. *c.* 15.) „Piſcinas autem, *inquit*, quam refertas habuerint pretioſiſſimis „ piſcibus Romani illi nobiliſſimi principes, L. Philippus, & HORTENSIUS, quos Cicero PISCINARIOS appellat, etiam illud „ indicium eſt," caet. Cf. Interpretes ad l. CICERONIS loca, MANUTIUS, CORRADUS, ERNESTI, aliique.

(2) *ad Att.* I. 19.

& *invidia*, de qua queſtus erat Cicero; ad quae hic reſpondet his verbis (1): „Quod ad me de republica „ ſcribis, disputas tu quidem & amanter & prudenter; „ & a meis conſiliis ratio tua non abhorret: — ve„ rumtamen fuit ratio mihi fortaſſe ad tranquillitatem „ meorum temporum non inutilis; — illud tamen, „ velim, exiſtimes, me hanc viam optimatium poſt „ Catuli mortem, nec praeſidio ullo, nec comitatu „ tenere. — *mihi vero ut invideant* PISCINARII „ *noſtri*, *aut ſcribam ad te alias*, *aut in congreſſum* „ *noſtrum reſervabo.*" Denique, ex ſequenti Epiſtolarum libro *Secundo* aperte conſtat, hoc Attico mirum accidiſſe, eumque deinceps de Pompejo, & de familiaritate Ciceronis cum eo, ſaepius & graviter ad hunc ſcripſiſſe (2).

Conſulibus igitur Q. METELLO & L. AFRANIO in Senatu regnarunt Pompejus & Cicero, qui optimo certe conſilio ſe ad illum adjunxit, ut ejus actiones in utilitatem Reipublicae, quantum fieri poſſet, dirigeret, & ut ejus potentia tutus, reſiſteret inimicorum ſuorum fraudibus & inſidiis. Caeteri Optimates, ab illorum ſocietate alieni, rebus urbanis ſeſe non magnopere inmiſcuerunt: quod propoſitum etiam ſub ſequentibus Conſulibus, CAESARE & BIBULO, tenuerunt. Tum autem ipſe quoque CICERO, menſe Aprili & Majo extra urbem, Antii in Pompejano, Formiano & Arpinati, in literis vixit; Romamque rediit, cum Atticus in Epirum profectus eſſet: nullis ta-

(1) *ad Att.* I. 20.
(2) Legatur omnino *Epiſt. ad Att. L.* II. *Epiſt.* 1.

tamen publicis consiliis interfuit, sed se totum ad forensem operam laboremque contulit, honestissimeque suam dignitatem magna cura tuebatur. (3)

§. XXVII.

Eodem hoc Anno 694. CAESARE & BIBULO *Coss.* accusatus est L. VALERIUS FLACCUS, *de repetundis*, ex Asia, apud T. Vettium. (4) Is est L. Valerius Flaccus, qui, CICERONE Consule, Praetor fuerat, & una cum C. Pontinio in transitu pontis Milvii comprehenderat T. Vulturcium Catilinae socium, & Allobrogum legatos.

Flaccus ex Asia redux, quam per triennium tenuerat, *de repetundis* accusatus, defensus est ab HORTENSIO & Cicerone; quae quidem in celebri hac caussa conjunctio, confirmatae amicitiae & familiaritatis, certissimum praebet argumentum; cui accedunt diserta CICERONIS verba, ad Atticum scribentis (5): „ at hercule alter, *tuus familia-*
„ *ris* (6), HORTALUS, quam plena manu, quam in-

(3) Leg. *Epist. ad Att.* II. 22, 23, 24.

(4) Cf. PIGHIUS *Ann.* III. 353.

(5) *ad Att.* II. 25.

(6) HORTENSIUM Attici familiarem fuisse probant etiam haec NEPOTIS verba, *in Vita Attici c.* 15. „ Numquam suscepti ne-
„ gotii eum (Atticum) pertaesum est. — Quo fiebat, ut omnia
„ Ciceronum, Catonis, — HORTENSII, Auli Torquati, multo-
„ rum praeterea Equitum Romanorum negotia procuraret." & *cap.* 16. „ Humanitatis vero nullum adferre majus testimonium
„ possum, quam quod adolescens idem seni Sullae fuerit jucundissi-
„ mus: senex adolescenti M. Bruto: cum aequalibus autem suis,
„ Q. HORTENSIO & M. CICERONE, sic vixerit, ut judicare
„ difficile sit, cui aetati fuerit aptissimus." *Cf. & c.* 5.

„ ingenue, quam ornate noſtras laudes in aſtra ſuſtu-
„ lit, cum de Flacci Praetura, & de illo tempore Al-
„ lobrogum diceret? *ſic habeto*, *nec amantius*, *nec*
„ *honorificentius*, *nec copioſius potuiſſe dici*. ei te hoc
„ ſcribere a me tibi eſſe miſſum, ſane volo." Defen-derat enim HORTENSIUS Flaccum ante Cicero-nem, & magnifice locutus videtur de hujus Conſu-latu; qua quidem re, ad hujus benevolentiam excitan-dam, nihil magis efficax poterat excogitari.

§. XXVIII.

Iisdem Conſulibus, CLODIUS, cujus odia in Ci-ceronem earumque cauſſae ſatis cognitae ſunt, ſe-ſe Fontejo, homini plebejo, adoptandum dedit, ut Tribunitia poteſtate firmatus, injurias a Cicerone ſi-bi illatas ulciſceretur. Hunc igitur magiſtratum quum A. U. 695. obtinuiſſet, ſtudio & opera, ut videtur, *Caeſaris*, *Pompeji* & *Craſſi*, (1) ſtatim plurimas tu-lit leges, (2) quae inſigniter Senatus auctoritatem mi-nuerent; & alias, quibus gratificaretur Conſulibus, L. CALPURNIO PISONI & A. GABINIO. Tulit & eam de libertate civium, „ ut ei, qui civem Roma-„ num indemnatum interemiſſet, aqua & igni inter-„ diceretur." (3)

In qua lege quamvis nihil de Cicerone ſcriptum eſſet, tamen neminem fugiebat, illam unice ad ejus per-

(1) Cf. CICERO *Epiſt. ad Att.* II. 9.
(2) Cf. PIGHIUS *Ann. T.* III. *p.* 363.
(3) VELLEJUS PATERCULUS *L.* II. *c.* 45.

perniciem ſpectare, ob interfectos *Catilinariae Conjurationis* ſocios. (4) Quum itaque de ſalute ſua deſperaret Cicero, veſtem mutavit & ſordidatus prodiit, ut civium miſericordiam moveret.

Artibus dein, ut DIO CASSIUS (5) narrat, & Pompeji, & Caeſaris inductus, ſtatuit Cicero ad urbem manere, & aperte inimicis reſiſtere. Sollicitatis interea amicis, Equites maxime habuit ſuae cauſſae defenſores (6); qui in Capitolium convenerunt, & ad Conſules & Senatum miſerunt legatos ex ſuo ordine, & Senatores Q. HORTENSIUM & C. CURIONEM: (7) „πρὸς γὰρ δὴ, *inquit* DIO CASSIUS *l. l.*, „τοῖς εἰρημένοις, οἵ τε ἱππεῖς συνελθόντες ἐς τὸ Καπιτώ„λιον, πρέσβεις ὑπὲρ αὐτοῦ πρός τε τοὺς ὑπάτους καὶ „τὴν γερουσίαν, ἄλλους τέ τινας ἐκ σφῶν, καὶ βουλευ„τὰς, τόν τε Ὁρτήσιον τὸν Κύϊντον, καὶ Γάϊον Κουρίω„να ἔπεμψαν."

II-

(4) „Etſi enim CLODII legis verbis non nominabatur CICE„RO, tamen ſolus petebatur," *inquit* VELLEJUS PATERCULUS. *l. l.*

(5) *Hiſt. L.* XXXVIII. *c.* 16. *T.* I. *p.* 161. *Ed. Reimari.*

(6) Legantur Orationes quas CICERO poſt Reditum habuit, vel *in Senatu*, vel *ad Quirites*: & *pro Domo ſua c.* 21. 22. *pro Plancio c.* 35. *pro Sextio c.* 11 — 14. 19. & 24. Cf. PLUTARCHUS *in Vita Ciceronis T.* I. *p.* 876. *B.* Leg. *de Mutatione Veſtis*, FERRATIUS *Epiſt. L.* III. *Ep.* 18. *pag.* 226 *ſqq.*

(7) C. SCRIBONIUS CURIO pater, hoc tempore Optimatium partes ſequebatur. C. CURIO *filius*, deinceps in Bello Civili Caeſari ſe addixit, *vir nobilis*, *eloquens*, *audax*, ut ait VELLEJUS PATERCULUS. *L.* II. *c.* 46. LUCANO *Pharſ. L.* I. *vſ.* 269. dicitur.

Audax venali — CURIO lingua:
Vox quondam populi, libertatemque tueri
Auſus, & armatos plebi miſcere potentes.

Illa autem Equitum legatio ad Senatum accedere prohibita eſt, ab imperioſo Conſule GABINIO, qui eo usque ſuperbia & inſolentia ſe abripi paſſus eſt, ut *L. Lamiam*, Equitem Romanum, praeſtanti dignitate hominem, urbe exire juſſerit (1); Equitum legatos, HORTENSIUM & CURIONEM, in jus vocaverit; cum, quod Equitibus adfuiſſent, tum, quod hanc in ſe legationem ſuſcepiſſent. Ipſe autem Clodius, eosdem ad plebem productos, ob hanc ipſam legationem, per ſervos quos conduxerat, verberibus concidit: „ *τῷ τε Ὀρτησίῳ καὶ τῷ Κουρίωνι, ὅτι καὶ ἀθροισθεῖσι* „ *σφίσι συνεγένοντο, καὶ τὴν πρεσβείαν ὑπέσησαν ἐπεκά-* „ *λει. καὶ αὐτοὺς ὁ Κλώδιος ἐς τὸ πλῆθος ἐσαγαγὼν,* „ *πληγαῖς ἐπὶ τῇ πρεσβείᾳ διά τινων προπαρεσκευασμέ-* „ *νων συνέκοψε.*"

Quod hic DIO CASSIUS narrat de Clodiana vi, qua ferro & lapidibus bonorum advocationem diſcuſſit Clodius, in plurimis locis (2) a Cicerone, in illis Ora-

quibus adde *L.* IV. *vſ.* 799.

Quid nunc roſtra tibi proſunt turbata, forumque,
Unde Tribunitia plebejus ſignifer arce
Arma dabas populis? quid prodita jura Senatus,
Et gener, atque ſocer bello concurrere juſſi?

& *vſ.* 811.

At tibi nos (quando non proderit iſta filere
A quibus omne aevi ſenium ſua fama repellit,)
Digna damus, juvenis, meritae praeconia vitae.
Haud alium tanta civem tulit indole Roma,
Aut cui plus leges deberent recta ſequenti.

(1) CICERO *Or. poſt Reditum in Senatu c.* 5. *pro Sextio. c.* 12.
(2) *Orat. de Haruſ. Reſp. c.* 4. *pro Sextio. c.* I. 15. 19 & 24. *in L. Piſonem c.* 10.

Orationibus quas poſt Reditum ſatis multas habuit, etiam memoratum invenimus; & in Oratione *pro T. Annio Milone:* (3) „ Vidi enim, *inquit*, vidi, hunc ipſum Q. „ HORTENSIUM, *lumen & ornamentum Reipu-* „ *blicae*, paene interfici ſervorum manu, cum mihi „ adeſſet: qua in turba *C. Vibienus*, Senator, vir „ optimus, cum hoc cum eſſet una, ita eſt multatus, „ ut vitam amiſerit. ”

§. XXIX.

Rebus ita deſperatis, ut praeter fugam, aut apertum bellum, tertium non ſupereſſet; Cicero, dubius quamnam ſibi partem eligeret, videtur tamen cogitaſſe de acerba belli fortuna experiunda; unde haec ad QUINTUM *Fratrem* ſcribit. (4) „ Noſtrae tamen „ cauſae non videntur homines defuturi. — ſpero ſu- „ periores fore nos: confido animo, ut in hac repu- „ blica ne caſum quidem ullum pertimeſcam: ſed ta- „ men res ſic ſe habet. Si diem nobis Clodius dixe- „ rit; tota Italia concurret, ut multiplicata gloria „ diſcedamus: ſin autem vi agere conabitur; *ſpero* „ *fore*, *ſtudiis non ſolum amicorum*, *ſed etiam alie-* „ *norum*, *ut vi reſiſtamus*. Omnes & ſe, & ſuos „ liberos, amicos, clientes, libertos, ſervos, pecu- „ nias denique ſuas pollicentur. ”

Sed

(3) *Or pro Milone c* 14. *add. Or. pro Domo ad Pontif. c.* 21. CLODIUM *alloquitur:* „ Cum eos, qui in conventu virorum bonorum ver- „ ba de ſalute mea fecerant, adeſſe juſſiſti, eorumque advocationem, „ manibus, ferro, lapidibus diſcuſſiſti: tum profecto oſtendiſti, vim „ tibi maxime displicere. ”

(4) *Ep. ad Q. Fratrem* I. 2. §. 5.

Sed HORTENSIUS & Cato, qui extrema pro Ciceronis ſalute tentaſſe omnino dici poſſunt (1), eum ab hac damnoſa ipſi & univerſae Reipublicae ſententia averterunt: „ κωλυθεὶς, *inquit* DIO CASSIUS, (2) δὲ ὑπό τε τοῦ Κάτωνος καὶ τοῦ Ὀρτησίου, „ μὴ καὶ ἐμφύλιος ἐκ τούτου πόλεμος γένηται. " *id eſt*, „ prohibitus eſt a Catone & HORTENSIO ne bellum „ inteſtinum ea res concitaret."

PLUTARCHUS *in Vita Ciceronis* (3) refert, Ciceronem cum his amicis deliberaſſe, quid eſſet faciendum; utrum deberet cum Clodio vi & armis pugnare, an vero cedendo altera vice urbem ab exitio & ruinis liberare. Piſo Conſul hoc ſuaſerat: Lucullus contrariam tuebatur opinionem: alii vero cum Conſule ſentiebant. „ τοιαύτης, *dicit* PLUTARCHUS „ *l. l.*, τυχὼν ἀποκρίσεως ὁ Κικέρων, ἐβουλεύετο σὺν „ τοῖς φίλοις· καὶ Λεύκουλλος μὲν ἐκέλευε μένειν ὡς „ περιεσόμενον, ἄλλοι δὲ φεύγειν, ὡς ταχὺ τοῦ δήμου „ ποθήσοντος αὐτὸν, ὅταν ἐμπλησθῇ τῆς Κλωδίου μανίας „ καὶ ἀπονοίας·" *id eſt*. „Eo accepto reſponſo deliberavit Cicero cum amicis. Lucullus manendum cenſuit, „ ipſius fore victoriam: alii fugiendum, futurum „ enim brevi ut exſatiatus Clodii furore & ſcelere „ populus ipſum eſſet deſideraturus." Inter eos autem qui Ciceronem ſuaderent ut fugeret, fuerunt *Pompejus*, *Cato* (4), HORTENSIUS, *Arrius* & alii, quo-

(1) Leg. FERRATIUS *Epiſt. L.* V. *Epiſt.* 8. *p.* 344.
(2) *Hiſt. Rom.* L. XXXVIII. *c.* 17. *T.* I. *p.* 163.
(3) *T.* I. *p.* 876. *E.* Leg. SEB. CORRADI *Quaeſtura. p.* 157 *ſqq.*
(4) Cf. PLUTARCHUS *in Vita Catonis Min. T.* I. *p.* 776. *B.*

quorum consiliis obsecutus urbe tandem cessit, & in Graeciam transiit.

§. XXX.

Quae vero huc usque de HORTENSII in Ciceronem meritis narravimus, eo animo a nobis scripta sunt, ut quis melius judicari possit, quo fundamento nitantur acerbae illae quaerelae, quas in hujus ad ATTICUM epistolis, etiam in illis quas in itinere, *Brundisio* (5) v. g. scripsit, invenimus, de scelere non *inimicorum suorum*, sed *invidorum*; per quod in illam summam injuriam se incidisse dicit. In omnibus enim fere Epistolis, quas *Thessalonica*, vel ad Atticum, vel ad Quintum Fratrem, vel ad Terentiam uxorem dedit, loquitur de propria sua stultitia, de infelici sui abitus eventu, & de fraude & invidiosis amicorum consiliis, quos *intra suos ipsius parietes de sua pernicie consilia iniisse* queritur. (6) Sed nihil acerbius invenitur iis quae *Idibus Junii* ad Atticum, & ad Quintum Fratrem scripsit; quare haec loca, in quibus HORTENSIUS diserte nominatur, hic describam:

Thessalonica igitur scribit ad Atticum, *Idibus Junii*, GABINIO & PISONE *Coss.* (7) „ In hunc „ me casum vos, vivendi auctores, impulistis; itaque „ mei peccati luo poenas: quamquam me tuae litterae „ su-

(5) *Epist. ad Att.* III. 7. data prid. Kal. Maji.

(6) *Epist. ad Att.* III. 10. *Cf.* III. 7. 8. 9. 10. 13. 15. 19. & 20. *ad Q. Fratrem* I. 3. 4. *ad Div.* XIV. 1, 3.

(7) *ad Att.* III. 9.

„ ſuſtentant: ex quibus, quantum tu ipſe ſperes, fa-
„ cile perſpicio. quae quidem tamen aliquid habebant
„ ſolatii ante, quam eo veniſti, *a Pompejo nunc*
„ HORTENSIUM *allice, & ejusmodi viros.* Obſe-
„ cro, mi Pomponi, nondum perſpicis, quorum ope-
„ ra, quorum inſidiis, quorum ſcelere perierimus?
„ ſed tecum haec coram agemus; tantum dico, quod
„ ſcire te puto, *nos non inimici, ſed invidi per-*
„ *diderunt.* "

Ad Quintum Fratrem autem eodem die haec ſcribit. (1)

„ Sed ego, quid ſperem, non diſpicio, cum inimi-
„ ci plurimum valeant, amici partim deſeruerint me,
„ partim etiam prodiderint: qui in meo reditu fortaſſe
„ reprehenſionem ſui ſceleris pertimeſcant. — *Quan-*
„ *tum* HORTENSIO *credendum ſit, neſcio: me*
„ *ſumma ſimulatione amoris, ſummaque aſſiduitate*
„ *quotidiana,* SCELERATISSIME INSIDIO-
„ SISSIMEQUE *tractavit, adjuncto quoque Arrio:*
„ quorum ego conſiliis, promiſſis, praeceptis deſtitu-
„ tus,

(1) *Epiſt. ad Q. Fratrem.* I. 3. Legatur de hac CICERONIS accuſatione c. M. WIELAND *ad Epiſt. ad Att.* III. 8., (*L.* 3. *Ep.* 9. *n.* 7. T. II. *p.* 115—118.) qui HORTENSIUM etiam abſolvit: „ Ob die-
„ ſer, *inquit*, aber einen ſo entehrenden Vorwurf wirklich verdient
„ habe, oder ihm nicht vielmehr groſſes Unrecht dadurch geſchehe,
„ iſt eine andere Frage, die, wenn ſie ſich gleich nicht mit völliger
„ Gewissheit beantworten läſſt, doch durch ſehr ſtarcke Vermu-
„ thungen für das Letztere entſchieden werden dürfte. Denn es
„ findet ſich nicht nur nicht die mindeſte Spur eines Beweiſes der
„ ihm angeſchuldigten Treuloſigkeit, ſondern es iſt im gegentheil
„ durch ein von CICERO ſelbſt ſpäterhin abgelegtes Zeugniss aus-
„ ſer allen Zweifel geſetst, dass HORTENSIUS ſich ſogar mit
„ Gefahr ſeines eigenen Lebens der Clodiſchen Parthey für ihn en-
„ gegenſetst hatte. "

„ tus, in hanc calamitatem incidi. Sed haec occul-
„ tabis, ne quid obſint. Illud caveto: & *eo puto*,
„ *per Pomponium fovendum tibi eſſe ipſum* HOR-
„ TENSIUM, ne ille verſus (2), qui in te erat col-
„ latus, cum Aedilitatem petebas, de lege Aurelia,
„ falſo teſtimonio confirmetur. — Pompejum etiam
„ ſimulatorem puto." —

Haec duo ſunt loca, quae quidem reperi, in quibus HORTENSIUM aperte inſimulat Cicero, & vehementer ſane ei tum infenſus fuit. In aliis locis, quae multa habemus, de pluribus, non expreſſis nominibus, loquitur, omnesque illos comprehendit, qui fugiendi ipſi dederant conſilium. Cum autem conſtet HORTENSIUM in eorum fuiſſe numero, Interpretes ad omnes fere hos locos, Ciceronem ubique de Q. HORTENSIO cogitaſſe opinantur, hanc ſuam opinionem duobus his locis ſtabilientes; quod, utrum recte, an vero ſecus ab iis affirmetur, nunc nobis erit examinandum.

§. XXXI.

CICERO, optimo amicorum conſilio obſecutus, Clodio prudenter ceſſerat; ſed a Q. Virgilio Praetore in Siciliam, quem terminum fugae fore putaverat, appellere prohibitus, jam coepit miſerrimam ſuam conditionem lugere, & magis adhuc cum in Graeciam profectus, direptionem villarum & domuum ſuarum,

(2) Cf. ad h. l. ERNESTI, P. MANUTIUS & WIELAND T. II. *p.* 118. *not.* 8.

rum, vaſtitatem agrorum, & uxoris liberorumque miſeriam & luctum intelligeret. (1)

His itaque calamitatibus percuſſus Cicero, quum animum fere deſponderet, facile ſibi perſuadebat haec mala evitari potuiſſe ſi Romae manſiſſet; quae quidem cogitatio ejus mentem quotidie angebat, ac magis magisque exaſperabat, uti ex ejus Epiſtolis apertum eſt. Ex eodem igitur hoc fonte fluxit continua illa amicorum accuſatio, quos *prae invidia* ſibi illud cedendi conſilium dediſſe, queritur; neque aliam ob cauſſam, quam ut ſic facile ex urbe expellerent, maximum ſuarum laudum & gloriae aemulum: amicis, quos Romae reliquerat, fruſtra eum per literas, in aliam opinionem perducere conantibus, in primis ATTICO; qui amicos, quos tam acerbe accuſaret Cicero, apud illum purgare conatus eſt, ut ex ipſius Ciceronis reſponſis conſtat; ſic v. g. (2) „ Nam quod ſcribis te audire, „ me etiam mentis errore ex dolore affici: mihi vero „ mens integra eſt; atque utinam tam in periculo „ fuiſſet! cum ego iis, quibus meam ſalutem cariſſi- „ mam eſſe arbitrabar, *inimiciſſimis crudeliſſimisque* uſus

(1) Teſtes omnino ſunt haec ad Atticum ſcripta: *Epiſt.* III. 15. „ nolo commemorare, quibus rebus ſim ſpoliatus, non ſolum quia „ non ignoras, ſed etiam ne ſcindam ipſe dolorem meum. hoc con- „ firmo, neque tantis bonis eſſe privatum quemquam, neque in tan- „ tas miſerias incidiſſe. *Dies autem non modo non levat luctum hunc,* „ *ſed etiam auget. nam ceteri dolores mitigantur vetuſtate; hic non poteſt* „ *non & ſenſu praeſentis miſeriae, & recordatione praeteritae vitae quo-* „ *tidie augeri.* deſidero enim non mea ſolum, neque meos, ſed me „ ipſum. Quid enim ſum? ſed non faciam, ut aut tuum animum „ angam querelis, aut meis vulneribus ſaepius manus adferam."

(2) *Epiſt. ad Att.* III. 13.

„ usus sum: qui, ut me paululum inclinare timore
„ viderunt, sic impulerunt, ut omni suo scelere &
„ perfidia abuterentur ad exitium meum."

Et iterum, paucos post dies (3): „ Nam quod
„ purgas eos, quos ego mihi scripsi invidisse, & in eis
„ Catonem: ego vero tantum illum puto ab isto scele-
„ re abfuisse, ut maxime doleam, plus apud me simu-
„ lationem aliorum, quam istius fidem, valuisse: *ce-*
„ *teri, quos purgas, debent mihi purgati esse,*
„ *tibi si sunt.*"

Scripserat nempe Atticus ad Ciceronem, de crebris illis vehementibusque invidiae perfidiaeque accusationibus, easque vanas, saltem parum fundatas esse docuerat. Sed ne amplius miremur hos, qui fugiendi dederant consilium, CICERONI fuisse suspectos, cum in ipsum ATTICUM, eamdem ob caussam, ita invehatur (4): „ Nunc, Pomponi, quoniam nihil impertisti tuae pru-
„ dentiae ad salutem meam, quod aut in me ipso satis
„ esse consilii decrêras, aut te nihil plus mihi debere,
„ quam ut praesto esses; quoniamque ego proditus,
„ inductus, conjectus in fraudem, omnia mea praesi-
„ dia neglexi; totam Italiam, erectam ad me defen-
„ dendum, destitui & reliqui; *me, meos, meis tra-*
„ *didi inimicis, inspectante & tacente te;* qui si non
„ plus ingenio valebas, quam ego, certe timebas mi-
„ nus: si potes, erige adflictos, & in eo nos juva:
„ sin omnia sunt obstructa, id ipsum fac ut sciamus,
„ *& nos aliquando aut objurgare, aut comiter con-*
„ *so-*

(3) *Epist. ad Att.* III. 15.

(4) *Epist. ad Att.* III. 15 in fine.

„ *ſolari deſine.* Ego ſi tuam fidem accuſarem; non „ me potiſſimum tuis tectis crederem: *meam amen-* „ *tiam accuſo, quod a te tantum amari, quantum* „ *ego vellem, putavi: quod ſi fuiſſet, fidem eandem,* „ *curam majorem adhibuiſſes;* me certe ad exitium „ praecipitantem retinuiſſes; iſtos labores, quos nunc „ in naufragiis noſtris ſuſcipis, non ſubiſſes."

§. XXXII.

Harum autem, ſimiliumque querelarum plenae ſunt ad optimum amicum epiſtolae, hoc tempore ſcriptae. Quodſi nunc cogitemus, quam familiariſſimo amico ATTICO uſus ſit, & quam ſincere hic CICERONIS infeliciſſimum caſum luxerit, minus nobis haec in HORTENSIUM, *Arrium*, aliosque acerbitas mira accidet.

Venerat ad Ciceronem in graviſſima illa tempeſtate HORTENSIUS, ſumma aſſiduitate quotidiana, & de ſuo amore, & in hac cauſſa indefeſſo ardore, magna praedicaverat. Cum vero tandem omnia pro Ciceronis ſalute periclitatus eſſet, & videret ſine maximo et ſuo & ſuorum amicorum periculo, hunc in urbe manere nec poſſe, nec debere; cum Catone, Arrio, aliisque, Ciceronis maxime ſtudioſis, huic cedendi dederat conſilium.

Neque hoc revera tam acerbe tuliſſe CICERONEM, niſi in illa omnium miſeriarum gravi cumulatione, quibus tempore exſilii premebatur, teſtes ſunt Orationes quas poſt reditum habuit, vel *in Senatu*, vel *ad Quirites*, vel *pro Domo ſua ad Pontifices*, vel *pro Sextio*, *Plancio*, *Milone*, caet.: in quibus vix hanc cauſſam ſui abitus attigit, ſed fere ſemper gloriatur, ſo

se noluisse vi cum Clodio dimicare, bonorum periculo (1): *se libere suo corpore excepisse inflammatum hujus in bonos omnes impetum*, ne eam civitatem, quam inermis servasset, armatus in discrimen adduceret. (2)

Luculentissimum autem hujus rei testimonium est in Oratione *pro Domo sua ad Pontifices.* (3) Dicendum, „ *inquit*, igitur est id, quod non dicerem, nisi coa„ ctus: (nihil enim umquam de me dixi sublatius, „ ascisendae laudis causa potius, quam criminis de„ pellendi:) dico igitur, & quam possum maxima „ voce dico: Cum omnium perditorum & conjurato„ rum incitata vis, duce Tribuno Plebis, Consulibus „ auctoribus, afflicto Senatu, perterritis Equitibus „ Romanis, suspensa ac sollicita tota civitate, non „ tam in me impetum faceret, quam per me in omnes „ bonos: me vidisse, si vicissem, tentes Reipublicae „ reliquias; si victus essem, nullas futuras: quod cum „ judicassem; deflevi conjugis miserae discidium, libe„ rorum carissimorum solitudinem, fratris absentis „ amantissimi atque optimi casum, subitas fundatissi„ mae familiae ruinas: *sed his omnibus rebus vitam* „ *an-*

(1) Cf. CICERO *Or. pro Domo c.* 24. 25.

(2) *Cf. l. l. & c.* 29. *pro Sextio. cap.* 20. „ Unum enim mihi restabat „ illud, quod forsitan non nemo vir fortis & acris animi magnique „ dixerit: restitisses, repugnasses, mortem pugnans oppetisses. De „ quo te, te, inquam, patria, testor, & vos penates, patriique „ dii, *me vestrarum sedum templorumque causa, me propter salutem meo„ rum civium*, quae mihi semper fuit mea carior vita, *dimicationem* „ *caedemque fugisse.*" *Cf. Or. pro Milone c.* 14. *pro Cn. Plancio c.* 35. 36. *seq. Epist. ad Div. Lib.* I. *E.* 9. §. 31.

(3) *cap* 36.

„ *antepoſui meorum civium; remque publicam con-*
„ *cidere unius diſceſſu, quam omnium interitu occi-*
„ *dere malui:* ſperavi, id quod accidit, me jacentem
„ poſſe a vivis viris fortibus excitari: ſi una cum bo-
„ nis interiiſſem, nullo modo poſſe recreari."

§. XXXIII.

Quae cum ita ſint, non poſſum facere cum illis Interpretibus, qui toties HORTENSIUM a Cicerone ſignificari volunt, etiam in his poſt reditum Orationibus, quoties de iis *qui inviderent*, aliquid dictum inveniant. Sic ex. gr. dicit CICERO *ad Quirites*, (1) quatuor omnino genera hominum eum violaſſe: „ unum
„ eorum, qui odio Reipublicae, quod eam ipſis in-
„ vitis conſervaſſet, ei inimiciſſimi fuerunt: alterum,
„ qui per ſimulationem amicitiae, nefarie prodiderunt:
„ *tertium, qui, cum propter inertiam ſuam eadem*
„ *aſſequi non poſſent, inviderunt ipſius laudi & digni-*
„ *tati:* quartum, qui, cum cuſtodes Reipublicae eſſe
„ deberent, ſalutem ejus, ſtatum civitatis, dignitatem
„ ejus imperii, quod erat penes ipſos, vendiderunt."

HOTTOMANNUS ad h. l. (uti ſimili in loco *c.* 5.) per eos, *qui per ſimulationem amicitiae nefarie prodiderunt*, HORTENSIUM noſtrum peti putavit, illudque confirmari ſupra a nobis laudata *Epiſt.* 3. *L.* I. *ad Q. Fratrem;* quod tamen, (pace viri doctiſſimi dicam,) nimium mihi probare videtur: neque credam, CICERONEM in talibus argumentis, ita ge-

(1) *Or. poſt Reditum ad Quirites c. 9.*

generaliter enunciatis, praeſertim hoc tempore & loco, quemquam ſpecialiter ob oculos habuiſſe: putarem potius, eum in his ſimilibusque dictis, ingenio ſuo luxurianti indulſiſſe, & praecipue tantum de orationis perſpicuitate, gravitate, & ſuavitate fuiſſe ſollicitum.

Referendum huc omnino eſt aptiſſimum exemplum ex *Oratione pro Sextio. c.* 20. ubi haec verba occurrunt: „ cum alii me ſuſpicione periculi ſui non defenderent, „ alii vetere odio bonorum incitarentur, *alii invide-* „ *rent*, — alii ulciſci dolorem ſuum aliquem vellent, „ alii rem ipſam publicam — odiſſent:" caet.

Hic ABRAMUS in *Comm. ad h. l.* ſcribit, (ad verba *alii inviderent*,) „ Ii potiſſimum videntur fuiſſe Lucullus „ & HORTENSIUS, de quibus ad *Att.* I. 19. 20. „ *Piſcinarii noſtri non obſcure nobis invident.*" In quibus, cur ABRAMO non aſſentiar, praecipua ratio eſt, quod HORTENSIUS, *eloquentiſſimus & clariſſimus vir* (2), in hac cauſſa etiam P. Sextii fuerit patronus & defenſor, & in eadem oratione a CICERONE egregiis verbis extollatur: „ nam, *inquit* (3), „ de Sextii Tribunatu ita dictum a Q. HORTEN- „ SIO, ut ejus oratio non defenſionem modo crimi- „ num videretur continere, ſed etiam memoria digna „ eſſet, uti & Reipublicae capeſſendae auctoritatem „ disciplinamque praeſcriberet."

Illae praeterea Epiſtolae ad Atticum hic nihil probare poſſunt: pertinent enim ad A. U. 693. & de iis agunt quae poſt Cn. Pompeji reditum acciderunt. Atque univerſe, in locis ex Orationibus vel Epiſtolis per alia pa-

(2) Or. *pro Sextio. c.* 2.
(3) CICERO *l. l. c.* 6.

parallela explicandis, omnino videtur attendendum, ubi de factis quaestio est, ad accuratam rerum consecutionem, temporisque quo epistolae scriptae sunt, constitutionem, ne forte auctori sententias obtrudamus, ab ejus mente & dignitate prorsus alienas.

§. XXXIV.

P. CORNELIO LENTULO & Q. CAECILIO METELLO *Coss.* A. U. 696. ab exilio revocatus est CICERO: qua in re quid praestiterit HORTENSIUS, certo non constat: neque etiam clare quid de eo, ad Atticum hoc anno scripsit Cicero. Memorat quidem eos, qui eum absentem defendissent, *incipere praesentibus occulte irasci, aperte invidere* (1): & in caussa aestimationis villarum domuumque combustarum, *illam non modo vehementer ab optimo quoque, sed etiam a plebe reprehendi* scribit; (2) & addit, „ verum iidem, mi T. Pomponi, iidem, inquam „ illi, quos ne tu quidem ignoras, qui mihi pinnas „ inciderant, nolunt easdem renasci:" sed quis hic eximie HORTENSIUM intelligi, affirmare audebit?

In *Tertia*, quae sequitur *hujus Libri Epistola*, magis aperte eum designavit CICERO. Narrat in ea Attico P. Clodii scelera, qui suos fabros de area expulerat, Quinti Fratris domum incenderat, ipsumque, cum Sacra Via descenderet, cum suis erat insecutus, Milonis domum incendere & expugnare erat conatus, & tandem P. Sullae domum pro castris, unde illam expugnationem faceret, sumserat. „ Tum Sulla, *addit*

22 CI-

(1) *ad Att.* IV. 1. in fine.
(2) *ad Att.* IV. 2.

„ CICERO (3) in Senatu poſtridie Idus: domi Clo-
„ dius: egregius Marcellinus, omnes acres. Metel-
„ lus calumnia dicendi tempus exemit, adjuvante Op-
„ pio, *etiam hercule familiari tuo, de cujus con-*
„ *ſtantia, virtute, tuae veriſſimae litterae.* Sextius
„ furere."

Hunc locum Interpretes iterum de HORTENSIO intelligunt, *familiari Attici;*(4) & P. MANUTIUS verba, *de cujus conſtantia*, caet. ironiam dicit, cum Atticus exſulanti Ciceroni hoc fere modo ſcripſiſſet; „ HORTENSII *conſtantiam & virtutem in tuenda* „ *Republica cognoſces:*" *Manutio* adſtipulatur *Boſius*, ad *h. l.*

Et ſane, nihil magnopere obſtare videtur, quo minus hanc doctiſſimorum virorum ſententiam amplectamur. HORTENSIUS autem, qui forte ex nimia ſeveritate novos in civitate motus & diras verebatur discordias, facile in hac Clodii cauſſa, lenior fuiſſe videri potuit CICERONI, quam huic, pro acerbiſſimo ac juſto ſuo erga peſſimum civem odio, aptum videretur.

In eadem hac *Epiſtola Tertia* ſcribit CICERO: „ reum *Publium*, niſi ante occiſus erit, fore a *Milo-*
„ *ne* puto, ſi ſe inter viam obtulerit, occiſum iri ab
„ ipſo Milone video: non dubitat facere; prae ſe fert;
„ caſum illum noſtrum non extimeſcit. *numquam enim*
„ *cujusquam invidi & perfidi conſilio eſt uſus: nec*
„ *inerti nobili crediturus:*" ubi per *invidum & perfidum* Manutio videntur deſignari, Pompejus & HOR-

(3) *ad Att.* IV. 3.
(4) Cf. NEPOS *in Vita Attici. c.* 5. & CICERO *Epiſt. ad Att.* II. 25.

HORTENSIUS, & vocibus *iners nobilis*, a CICERONE illi notari, *quos a se defendendo metus averterat.*

Ego, siquidem de HORTENSIO hic cogitandum esse certum sit, ita tamen potius locum interpretandum putem, ut verbis *invidum* & *perfidum*, notetur Pompejus, per *inertem nobilem* HORTENSIUS, quem etiam alio loco, (1) *excellentem*, nobilitate, *ingenio & existimatione*, dixit; quo sensu, si locum accipiamus, melius omnia convenient cum HORTENSII indole, moribus, laudabili, sed temperato amore in bonos, & prudentia; quae omnia *inertis* esse, facile Ciceroni, magis fervido & impatienti, videri potuerunt.

§. XXXV.

Initio sequentis Anni 697. quum Consules essent CN. CORNELIUS LENTULUS MARCELLINUS & L. MARCIUS PHILIPPUS, in Senatu graviter actum est de Regis *Ptolemaei* in regnum reductione: qua in caussa, cum Cicero hanc provinciam *P. Lentulo*, Ciliciae tum Proconsuli, deferre vellet, alii Pompejo; HORTENSIUS & Lucullus se Ciceroni adjunxerunt: „ HORTENSII, (scribit hic ad Lentulum, Idibus Januarii (2)), *& mea, & Lu-* „ *culli sententia cedit religioni de exercitu* (3), " caet.

Divisis enim maxime in his deliberationibus Senatorum sententiis, cum de persona qui reduceret, tum de modo quo Rex *Ptolemaeus* reduceretur, studiose ad

(1) *Or. pro Quintio Cap.* 22.

(2) *Epist. ad Div.* I. 1.

(3) Sibyllino enim carmine vetitum esse dicebatur, *Aegyptium exercitu juvare.*

ad amicum ſuum Lentulum retulit Cicero, quid in Senatu ea de re actum eſſet, & quaenam in iis cum aliorum, tum praeſertim HORTENSII, fuerint merita. (4) „ Amicum, *inquit*, (5) ex conſularibus „ neminem tibi eſſe video, praeter HORTENSIUM „ & Lucullum: caeteri ſunt partim obſcurius iniqui, „ partim non diſſimulanter irati." Quem autem ſucceſſum res habuerit, legatur apud MIDDLETONUM *in Vita Ciceronis T.* I. *S.* VI. *p.* 427. *ſeqq.* Cf. FABRICIUS MARCODURANUS *ad A. U.* 696. SEB. CORRADUS *Quaeſt. p.* 184. *Ed. Erneſti.* & FREINSHEMIUS *in Suppl. Livian L.* 104. *cap.* 77. *ſeqq.*

§. XXXVI.

. Quaenam praeterea hoc Anno canſſa acciderit, in qua feſe intemperantius erga Ciceronem geſſerit HORTENSIUS, divinare vix licet: conſtat tamen *ex Epiſtolis ad Atticum*, tale quid accidiſſe, quod gravius tulerit Cicero, & ex quo ortas non dicam inimicitias, ſed ſimultates, *Atticus* de more voluit componere: quod ut efficacius fieret, ſcripſit ea de re ad *Ciceronem*, qui hisce *Attici* monitis & conſiliis, ſic reſpondet (6): „ Quod me admones, ut ſcribam *illa* HORTENSIANA: in alia incidi, non immemor iſtius mandati „ tui: ſed mehercule incipiendo refugi; *ne, qui videar ſtulte illius amici intemperiem non tuliſſe,* „ rur-

(4) *Epiſt. ad Div.* I. 2.

(5) *Epiſt. ad Div.* I. 5. Legatur & *Epiſt.* 7. „ Quo quidem, *ait*, „ tempore, ut perſcripſi ad te antea, cognovi HORTENSIUM *percupidum tui, ſtudioſum Lucullum.*"

(6) *ad Att.* IV. 6.

„ rurſus ſtulte injuriam illius faciam illuſtrem, ſi quid „ ſcripſero; & ſimul, ne *βαθύτης* mea, quae in agen- „ do apparuit, in ſcribendo ſit oculatior, & aliquid „ ſatisfactio levitatis habere videatur. Sed viderimus."

Multi in hoc difficili loco interpretando explicandoque ſunt Interpretes: ſunt enim qui *illa Hortenſiana* intelligant, de libro, quem longe poſtea ſcripſit Cicero, & HORTENSIUM inſcripſit. (1) Sed is non commode ſic dicitur, judice Erneſto *ad l. l.* (2). Mire praeterea P. Manutius omnia explicat hujus loci verba, & Ciceronem adhuc de illa *ſimulatione amoris & perfidia* HORTENSII, in exilio ſuo, (& de qua ad Atticum, & ad Quintum Fratrem ſcripſit, uti vidimus §. XXX.) cogitaſſe dicit.

Malaſpina & Boſius contra credunt, aliquid ab HORTENSIO, vel in Senatu, vel in foro, dictum fuiſſe, quod Cicero tam graviter tulerit, ut forte acriter reſponderit. Et ſane ipſa Ciceronis verba mihi huic interpretationi valde favere videntur.

Erat nempe amicus Ciceronis HORTENSIUS; hujus ille *intemperiem* non tulerat, & *ſtulte* quidem, cum non ita fuiſſet gravis. Immoderatius igitur reſponderat, & HORTENSIUM ita objurgaverat, ut hic inde paululum ab eo eſſet abalienatus. Atticus, utriusque fa-

(1) Veluti CORRADUS, MANUTIUS, *aliique ad l. l.*

(2) Nihil peculiare ad hunc locum dixit WIELAND, in elegantiſſima Verſione Germanica Epiſtolarum Ciceronis. *L.* IV. *Epiſt.* 25. *T.* II. *p.* 238. HORTENSIANA quidem intelligit de ſcriptione quadam *in laudem* HORTENSII. (*was die Lobſchrift auf den Hortenſius betrift*, caet.)

familiaris, admonuerat Ciceronem, ut aliquid ſcribendo, omnem quaſi ſimultatem erueret, penitusque evelleret: hoc etiam Ciceroni perſuaſerat, qui & rem incepiſſe, ſed dein refugiſſe videtur; quam ob cauſſam, id nunc Attico ſignificat; *ne qui videar illius amici intemperiem non tuliſſe, rurſus*, caet.

Quanam autem in cauſſa, quove loco, quave occaſione ſic fuerit intemperans noſter HORTENSIUS, certo non conſtat; nec magis quid Cicero ſcribere in animo habuerit. De libro HORTENSII nomine inſcripto, minus recte videntur cogitare, quem diu poſtea ſcriptum fuiſſe, certum eſt: de eoque paucis videbimus *Sectione Altera*. De hoc CICERONIS loco (*ad Att.* IV. 6.) agens TUNSTALLUS, *in Epiſt. ad Middletonum p.* 112; etiam credit, CICERONEM *in* Oratione *aliqua proſcidiſſe* Q. HORTENSIUM.

§. XXXVII.

Defenderunt etiam hoc Anno 697. HORTENSIUS & CICERO, *P. Sextium*, praecedentis anni Tribunum Plebis. Hic amicus optimatium & harum partium ſtudioſiſſimus, per totum Tribunatum valde laboraverat, ut Cicero ab exilio revocaretur; nunc autem poſtulabatur ex lege *Lutatia de Vi*, apud M. Aemilium Scaurum (3), a M. Tullio Albinovano, familiari Clodii. Ci-

(3) Cf. PIGHIUS *Ann.* III. 379. Lata eſt *Lex Lutatia* vel *Luctatia* Q. Lutatio Catulo & M. Aemilio Lepido Coſſ. A. U. 675. *de vi*; cum turbae & arma civilia, quae in foro & urbe eo tempore verſabantur, ſeveriores requirerent leges. *Leg.* ERNESTI *Cl. Ciceron. Ind. Legum in Voce* & P. MANUTIUS *de Leg. Rom. c.* 23. (*Theſ. Antiq.* GRAEVII *T.* II. *p.* 1102.)

Cicero qui ſtatuebat (1), „ a ſe in hac cauſa, atque hoc extremo dicendi loco, pietatis potius, quam „ defenſionis: querelae, quam eloquentiae: doloris, „ quam ingenii partes eſſe ſuſceptas," poſt HORTENSIUM pro P. Sextio peroravit, oſtendens, omnem vim quae in foro & in templo Caſtoris verſata eſſet, qua de re praecipue erat quaeſtio, a Clodio ejusque factione eſſe ortam.

HORTENSIUS abſolute & diligenter in hac cauſſa locutus erat, ut Cicero dicat: (2) „ Et, quamquam „ a Q. HORTENSIO, *clariſſimo viro atque eloquentiſſimo*, cauſa eſt P. Sextii perorata, nihilque ab eo „ praetermiſſum eſt, quod aut pro Republica conquerendum fuit, aut pro reo diſputandum: tamen aggrediar ad dicendum, ne mea propugnatio ei potiſſimum defuiſſe videatur, per quem eſt perfectum, ne „ caeteris civibus deeſſet. "

Quas vero rationes oppoſuerit HORTENSIUS, ad nos non pervenit, uti animadvertit ABRAMUS, *in Praef. ad Or. pro Sextio. T.* I. *p.* 3. Acta eſt haec cauſſa initio hujus anni; abſolutum enim, *a. d.* II. *Id. Martii* P. Sextium, ſcribit CICERO, *ad Quintum Fratrem. Epiſt.* II. 4.

§. XXXVIII.

Sequenti Anno 698. CN. POMPEJUS MAGNUS & M. LICINIUS CRASSUS, peſſimis artibus iterum Conſules creati, iisdem curaverant, ne in Comitiis alii magiſtratus crearentur, niſi ipſorum partibus ad-

(1) CICERO *Or. pro Sextio. c.* 2.
(2) CICERO *l. l.*

addicti; praecipue vero, ne Cato Praetor diceretur prohibuerant ſummis fraudibus & inſidiis.

Deinde C. Trebonius Tribunus Plebis, totus Conſulibus deditus, tulerat rogationem, qua iis in quinquennium deſtinabantur Provinciae, Syria, Hispania & Africa (3). Contra hanc legem, tacentibus caeteris civibus, fruſtra ſeſe oppoſuerant Cato, Favonius, & duo Tribuni Plebis; lex autem per vim perlata fuit.

Tulerant poſtea Conſules & alias leges, *de Provinciis* Caeſari *prorogandis*, *Judiciariam*, *de Ambitu*, caet. licet certe nemo impudentius priores hoc de crimine leges violaſſet, quam hi ipſi conſules.

Poſtremo, cum de luxuria magis magisque in civitate graſſante ſaepe querelae auditae eſſent, & ex eo etiam capite Conſules aurem popularem, ſalutarem quamdam coercitionem proponendo, captare meditarentur, agere coeperunt in Senatu, de nova quadam *lege Sumptuaria*. (4)

Huic propoſito primus obſtitit HORTENSIUS noſter, qui forte ex ipſa rogatione ſe quoque, pro-

(3) Leg. PLUTARCHUS *in Vita Pomp. T.* I. *p.* 646. *D. p.* 647. *init.*

(4) Cum privati ſumptus, uti vere judicat P. MANUTIUS *de Leg. Rom. c.* 18. *Theſ. Antiq.* GRAEVII, *T.* II. *p.* 1083. non ſint negligendi ab iis qui Reipublicae praeſunt, recte omnino plurimas tulerunt leges Romani, quibus diverſis temporibus luxuriam coercuerunt. Sic de ſumptibus in coenas lex eſt *Tribunicia* C. Orchii; *Conſulares* ſunt, C. Fannii, A. U. 588. T. Didii A. U. 606. P. Licinii Craſſi Divitis, L. Cornelii Sullae, M. Aemilii Lepidi: *Tribunicia*, Q. Antii Reſtionis: *Conſularis* tandem, C. Julii Auguſti. — Legantur MACROBIUS *Saturn.* II. 13. (III. 17.) qui accurate refert, quid unaquaque harum legum ſtatutum fuerit, & GELLIUS *Noct. Att.* II. 24. quo capite agit *de veteri parſimonia, deque antiquis Legibus Sumptuariis. Cf.* ANT. AUGUSTINUS *de Legibus, in vocibus. Theſ. Antiq.* GRAEVII *T.* II. pag. 1240, 1199, 1197, 1235, caet.

propter lautum & elegans vivendi genus quo utebatur, peti existimabat: HORTENSIUS adeo effecit ut hanc rogationem Consules omitterent, teste DIONE CASSIO (1): „ ὁ γὰρ Ὁρτήσιος, Φιλανάλωτος ἐν τοῖς „ μάλισα ὢν, ἔπεισεν αὐτοὺς, τό, τε μέγεθος τῆς πό„ λεως ἐπεξιὼν, καὶ ἐπί τε τῇ οἴκοι πολωτελείᾳ καὶ ἐπὶ τῇ „ ἐς τοὺς ἄλλους μεγαλοφροσύνῃ ἐπαινῶν, καταβαλεῖν „ τὴν γνώμην, ἅτε καὶ συνηγωνισῇ τῶν λόγων τῷ βίῳ „ σφῶν χρώμενος:" *id est*, „ HORTENSIUS enim, „ qui inter alios maxime faciundis sumptibus gestiebat, „ magnitudine civitatis explicata, Consulibusque ob „ sumptuositatem domesticam & magnificam erga alios „ liberalitatem collaudatis, eorumque vita suae oratio„ ni tanquam in subsidium adhibita, ut a proposito „ discederent, effecit."

Hic DIONIS CASSII locus ideo mihi maxime memoratu dignus videtur, cum nos doceat, qualis fuerit HORTENSIUS in vita privata; elegans, lauteque vivens, magnifice usus iis facultatibus & divitiis, (2) quas industria & indefesso labore plurimas acquisiverat: tum qualis ejus, etiam provectiore aetate, facundia, siquidem eos Consules, qui omnia sibi licere putabant,

(1) *Hist. Rom. L.* XXXIX. *c.* 37. *T.* I. *p.* 208.

(2) Huc pertinet quod ex Varrone sumsit PLINIUS, *Hist. Natur. L.* XIV. *cap.* 14. „ L. Lucullus puer apud patrem numquam lautum „ convivium vidit, in quo plus semel Graecum vinum daretur. Ipse „ cum rediit ex Asia millia cadum congiariorum divisit amplius cen„ tum. C. Sentius, quem Praetorem vidimus, Chium vinum in do„ mum suam illatum dicebat tum primum, cum sibi cardiaco medi„ cus dedisset. HORTENSIUS *super decem millia cadum heredi re„ liquit.*"

bant, ita callide laudaverit, ob hanc ipſam eorum ſumptuoſitatem, luxum, & liberalitatem, ut revera prae pudore, non auſi ſint legem perferre. Sequitur inde etiam HORTENSIUM in Senatu, & tum maximam habuiſſe auctoritatem; & quod certe ſummum mihi videtur, praeclariſſimum hoc eſt documentum ejus conſtantiae & fortitudinis; cum non dubitaverit, eo tempore, iisque Conſulibus, libere ſuam dicere ſententiam, & aperte his ſummis magiſtratibus reſiſtere. Habemus hic igitur exemplum humanitatis urbanitatisque in victu & cultu, facundiae & eloquentiae admirandae in perſuadendis iis, qui aliorum optima conſilia aſpernantes, caeterorum omnium hominum voluntates, ſuo nutu regere & dirigere cupiebant; potentiae tandem & gravitatis, in liberrima ſententiae ferendae facultate.

§. XXXIX.

Sub ſequentibus Conſulibus, L. DOMITIO AHENOBARBO & APPIO CLAUDIO PULCHRO, A. U. 699. frequentia fuerunt judicia: „ Cato & Sufe-„ nas, *ait* CICERO (3), a. d. III. Non. Quintilis „ abſoluti. Procilius condemnatus. — Publius (*Clo-„ dius*) ſane diſerto epilogo criminans, mentes judi-„ cum moverat. HORTALUS (4) *in ea cauſa fuit,* „ *cujusmodi ſolet;* nos verbum nullum: verita eſt enim „ puſilla, quae nunc laborat, ne animi in Publio „ offenderer."

Hic

(3) *ad Att* IV. 15.

(4) *Hortalus*, cognomen eſt HORTENSII, eoque etiam uſus eſt CICERO, *Epiſt. ad Att.* II. 25. Cf. ERNESTI *in Cl. Ciceron. Ind. Hiſt.*

Hic locus valde difficilis varie ab Interpretibus, Manutio, Boſio, Junio, Popma, aliisque explicatur. Graevio placuit Manutii conjectura legentis: *verita & enim filia, quae nunc laborat, ne animum Publii offenderem*, vel *ne animus Publii offenderetur* (1): legendum tamen putat Graevius, *ne animum in Publio offenderet.* Erneſti vero in his nihil certi dici poſſe affirmat, quia hiſtoriam ignoramus.

Hoc tamen certum videtur, Procilium cum Catone & Sufena Tribunatum Plebis ante biennium geſſiſſe (2); forte nimis turbulenter. Hanc ob cauſſam nunc accuſati, duo poſteriores ſunt abſoluti; Procilius autem condemnatus eſt, accuſante P. Clodio, qui diebus hiſce in judiciis verſabatur (3): HORTENSIUS Procilii cauſſam egit & *in ea fuit cujusmodi ſolet.* Qualis autem ſoleret eſſe in peragendis cauſſis HORTENSIUS, egregius nempe & admirabilis, tum eloquentia, tum ſtudio, probabimus *in ſequenti Sectione*, nec ulla ratio nos movet, cur non hanc ipſam mentem Ciceroni hoc loco fuiſſe credamus.

Cicero autem in ea cauſſa nihil dixerat, ne, ſi cum *Manutio* locum intelligamus, filiae Tulliolae voluntati deeſſet, quae eum rogaverat ne Procilium defenderet, contra hanc Publii Clodii accuſationem. Verebatur nempe filia, ne, ſi forte pater acerbius quid in eum hac occaſione dixiſſet, ille in Ciceronem gravius excandeſceret.

§. XL.

(1) Placet haec *P. Manutii* conjectura etiam Elegantiſſ. c. M. WIELAND, *in not. ad hanc Epiſt. T.* II. *p.* 383. *L.* V. *Ep.* 32.

(2) Cf. PIGHIUS *Ann.* III. 381. *ad A.* 697.

(3) Cf. ASCONIUS PEDIANUS *ad Frag. Oration.* CICERONIS *pro Scauro.*

§. XL.

De HORTENSII noſtri & Ciceronis ſumma familiaritate, A. U. 700. CN. DOMITIO CALVINO & M. VALERIO MESSALA *Coſſ.*, vix melius habere poſſumus argumentum, (4) quam illam Ciceronis cooptationem in *Collegium Augurale;* de quo nunc paucis dicemus.

Augures, a Numa inſtituti (5), usque ad A. U. 452. quatuor fuerunt numero, deinde additi quinque; a Sulla Dictatore iterum aucti, quindecim manſerunt. Hi, ſicut apud Pontifices moris erat, ipſi ſibi collegas cooptabant. Ademerat iis tamen inſigne hoc jus Cn. Domitius Ahenobarbus, A. U. 649. lege lata (6), ſecundum quam, qui antea a Collegio ipſo cooptabantur, Comitiis populi Romani eligerentur. Sulla antiquum jus his Collegiis reſtituerat, *Lege Cornelia de Sacerdotiis*, quam deinde abrogavit Labienus Trib. Pleb. Cicerone Conſule. Hujus legis beneficio C. Julius Caeſar, nondum Praetorius, viris conſularibus P. Iſaurico & Q. Catulo praelatus, atque Pontifex Maximus creatus eſt. Apparet tamen ex

CI-

(4) Inde CICERO ad collegam Appium Pulchrum ſcribit, *ad Div.* III. 10. „ Quid illa tandem popularia? - ampliſſimi ſacerdotii colle-„ gium? in quo non modo amicitiam violari apud majores noſtros fas „ non erat, ſed ne cooptari quidem ſacerdotem licebat, qui cuiquam „ ex collegio eſſet inimicus."

(5) Cf. LIVIUS *L.* IV. *c* 4 *L.* X. *c.* 6. *&* 9. Errare videntur qui eorum inſtitutionem ad Romulum referant, uti J. A. BOSIUS *de Pont. Max. c.* 3. *Theſ.* GRAEVII *T* V. *p.* 244 J. C. BULENGERUS *de Augur. & Auſp. L.* II. *c.* 11. *Theſ.* GRAEVII *T.* V. *p.* 430 & MEOPORTUS, qui ROSINUM ſecutus eſt, *p.* 105.

(6) Cf. CICERO *Or. de lege Agraria* II. 7. Leg. PIGHIUS *Ann.* III. *p.* 153. & ERNESTI *in Cl. Cicer. Ind. Leg. v.* DOMITIUS

CICERONE (1), judice Erneſto, in *Clave Ciceroniana l. l.* „hoc temperamentum dein adhibitum eſſe, „ut duo e collegio nominarent, populus ex his qui „nominati eſſent legeret."

P. Craſſo, qui cum patre bellum adverſus Parthos geſſit, & in illa acerba clade interfectus eſt, quique unus erat quindecim Augurum, mortuo, petierunt id munus Hirrus Tribunus Plebis, (2) & Cicero (3); ſed hic obtinuit, „*& eum Augurem, a toto collegio* „*expetitum* Cn. Pompejus *&* Q. HORTENSIUS „*nominaverunt, neque enim licebat a pluribus no-* „*minari.*" (4)

HORTENSIUS in illa inſigni ad honorem re, Ciceroni ſummae fuit utilitati; quod hic poſt ejus mortem maxima cum doloris ſignificatione memoravit; „nam, *inquit*, (5) & amico amiſſo, cum conſuetu- „dine jucunda, tum multorum officiorum conjunctio- „ne me privatum videbam, & interitu talis Auguris „dignitatem noſtri collegii diminutam dolebam: qua „in cogitatione, & cooptatum me ab eo in collegium re- „cordabar, in quo juratus judicium dignitatis meae „fecerat, & inauguratum ab eodem; ex quo, Augurum „inſtitutis, in parentis eum loco colere debebam."

Teſtis enim HORTENSIUS, juratus teſtimonium dignitatis Ciceronis dixerat, qua dignus hoc Sacerdotio judicaretur, & eum inaugurarat; quod tam ſolemne apud Augures habebatur, ut paternam reverentiam novus collega, ei a quo inauguratus eſſet, praeſtare teneretur.

§. XLI.

(1) *Cf. Philipp.* II. 2. *ibique* ABRAMUS.
(2) *Cf.* CICERO *Epiſt. ad Div.* VIII. 3. *ibique* P. MANUTIUS.
(3) *Cf.* PLUTARCHUS *in Vita Ciceronis T.* I. *p.* 878. *F.*
(4) CICERO *Philipp.* II. 2. *Cf.* XIII. 5.
(5) CICERO *Brut. c.* 1. Cf. ſupra laudata Epiſt. *ad Div.* III. 10.

§. XLI.

Non minor celebri in cauſſa *Milonis* fuit HORTENSIUM inter & Ciceronem amicitia, & in illo periculoſo tempore unanimitas. Cognita eſt hiſtoria, vel ex ipſius CICERONIS *Oratione pro Milone*, vel ex *Argumento* ASCONII PEDIANI (6), qui longius diſſerit de cauſſa caedis Clodianae, de turbis inde ortis, & de judicio quo auctores ejus perſecuti ſunt Clodiani.

Videmus inde quam difficilis haec Milonis defenſio fuerit, ob contrarias partes quas etiam, ut videtur, ſequebatur & tuebatur Pompejus: quare maxime laudandus HORTENSIUS, qui conſtanter Miloni adfuit cum M. Marcello, M. Calidio, M. Catone, & Fauſto Sulla.

Quid vero in ea cauſſa dixerint & praeſtiterint, pluribus narrat ASCONIUS PEDIANUS *in Argumento Orat. pro Milone. T.* I. *p.* 619. *Ciceronis Gronovii*, praeſertim *in Comment. ad Orat. cap.* 6. (7)

Sed non eſt noſtri inſtituti plura de hoc Milonis judicio addere, cum ex allatis locis videre liceat, & qua auctoritate HORTENSIUS fuerit in Senatu, & quo animo erga Ciceronem ejusque amicos.

§. XLII.

Videtur tamen circa hoc fere tempus, HORTENSII & Ciceronis amicitia nonnihil refrixiſſe: queritur ſaltem hic de parum firma HORTENSII fide in promiſſis ſolvendis. Ci-

(6) Leg. SER. CORRADUS *Quaeſt. p.* 186. *ſeqq.*

(7) Legatur omnino FERRATIUS *Epiſt. L.* III. *Ep.* 7. *p.* 179.

Cicero enim, cui ex nova Provinciarum administrandarum ratione, secundum legem Pompejam, Cilicia obtigerat, A. U. 702. Consulibus SERVIO SULPICIO RUFO & M. CLAUDIO MARCELLO, mense Majo Roma profectus, per aliquot dies in villis suis moratus est: audiamus ipsum loquentem hac de re ad Atticum (1): „ In Cumano cum essem, venit ad me, „ *quod mihi pergratum fuit*, *noster* HORTENSIUS: „ *cui, deposcenti mea mandata, caetera universi mandavi; illud proprie, ne pateretur, quantum esset „ in ipso, prorogari nobis provincias;* in quo eum tu „ velim confirmes, gratumque mihi feciſſe dicas, quod „ & venerit ad me, & hoc mihi, praetereaque si quid „ opus esset, promiserit. — Habuimus in Cumano „ quasi pusillam Romam.”

Maximo nempe Cicero tenebatur urbis desiderio, non tantum cum in provincia sese optimis & sinceris amicis privatum sentiret, sed jam statim in ipso itinere; quod constat non solum ex hac laudata Epistola, sed & ex aliis quas e Cilicia, sive ad Atticum, sive ad alios familiares scripsit (2). Quae quidem omnia plenissimo sunt documento, Ciceronem maximam spem posuisse in HORTENSIO, cujus auctoritate haec res ex voto suo sibi conficeretur. (3) Hic

(1) *ad Att.* V. 2.

(2) *Cf. Epist. ad Att.* V. 1. *init.* 2. 9. 11. *init.* 13. *in fine.* 15. 17. 18. 20. 21: *ad Div.* II. 7. 8. *in fine.* 10. III. 8. 10. VIII. 10. XV. 9. 12. 14.

(3) *ad Att.* V. 9. „ Illud tamen — memento curare per te, „ & per omnes nostros, *in primis per* HORTENSIUM, ut annus „ noster maneat suo statu, ne quid novi decernatur: hoc tibi ita „ mando, ut dubitem, an etiam te rogem, ut pugnes, ne intercale„ tur; sed non audeo tibi omnia onera imponere; annum quidem „ utique teneto.”

Hic vero, quamquam Ciceroni promiſerat ſe cauturum ne provincia ipſi prorogaretur, promiſſis tamen non ſtetiſſe videtur, ſed id egiſſe ut provinciae in biennium prorogarentur. Hinc querelae Ciceronis ad Atticum (4): „ Scripſit Sextius, HORTENSIUM *de* „ *proroganda noſtra provincia dixiſſe neſcio quid:* „ mihi in Cumano, diligentiſſime ſe, ut annui eſſe„ mus, defenſurum receperat: ſi quicquam me amas, „ hunc locum muni; dici non poteſt, quam invitus a „ vobis abſim:" &, ne plures excitemus, ad Appium Claudium, Collegam in Auguratu, & HORTENSII familiarem (5): „ unum illud te praecipue rogo, ut „ cures, ne quid mihi ad hoc negotii aut oneris acce„ dat, aut temporis: HORTENSIUMQUE, *noſtrum* „ *collegam & familiarem*, roges, ut, ſi umquam mea „ cauſa quidquam aut ſenſit, aut fecit, *de hac quoque* „ *ſententia bima* decedat: quia mihi nihil poteſt eſſe „ inimicius."

Et videtur quoque HORTENSIUS de ſua ſententia deceſſiſſe, neque ullum discordiae locum amplius reliquiſſe. Cicero certe, in ſubſequentibus literis ad Atticum, eodem, quo antea, amicitiae ſignificatu, de eo ſcribere pergit; (6) cujus rei luculentum exemplum eſt in iis, quae de HORTENSII *filio* ſcribit (7), ubi, *hunc ego*,

(4) *ad Att.* V. 17.
(5) *ad Div.* III. 8.
(6) *Cf. ad Att.* VI. 1.
(7) *ad Att.* VI. 3. Q. HORTENSIUS filius, juvenis cum eſſet flagitioſe & turpiter vixit; CICERO *ad Att.* VI. 3. & VALER. MAX. *L.* V. *cap.* 9. *Ex.* 2. ubi refert admirabilem Q. HORTENSII in filio patientiam. Patre mortuo, auctionem inſtituit de hujus poſſes-

ego, inquit, *patris cauſa — ad coenam vocavi*; & paullo poſt; *ne offendam patrem, quem mehercule multum diligo.* caet.

§. XLIII.

Eodem hoc Anno M. Valerius Meſſala, ſororis HORTENSII filius, qui Conſul fuerat A. U. 700. (1) & ſaepius *ambitus* accuſatus, HORTENSIO defendente praeter omnium exſpectationem abſolutus eſt; de qua defenſione & ſumma HORTENSII eloquentia, magnificum eſt tum Bruti, tum CICERONIS (2) teſtimonium, his verbis: „ HORTENSIUM magnum „ Oraſeſſionibus, CICERO *ad Att.* VII. 2. in qua Puteolos ſuos facere Cicero cupiebat, *Ep.* 3. *Coelius* enim emerat bona, quae HORTENSIUS ad *portam Flumentanam* habuerat. Q. HORTENSIUS filius, in bello Civili primum Caeſaris cauſſae faviſſe, dein vero, mutato conſilio, cum optimis civibus de ſalute Reipublicae maxime ſollicitus fuiſſe videtur, *ad Att.* X. 4. 12. 16. 17. 18. caet. Interfecto Caeſare, fortiter a partibus conjuratorum pro libertate Romanorum pugnavit, quam ob cauſſam maximis laudibus in *Philippicis* a CICERONE effertur; qui ejus animum dicit *egregium*, *dignumque & ipſo & majoribus ejus. Philipp.* X. *c.* 6. *cf. c.* 5. *&* 11. Tandem vero, captus in pugna ad Philippos, mactatus eſt ab Antonio Triumviro, ad monumentum fratris Caji, quem HORTENSIUS juſſu M. Bruti interfecerat. Cf. PLUTARCHUS *in Vita Bruti T.* 1. *p.* 996. *E.* VELLEJ. PATERC. *Hiſt. Rom.* II. 71. & PIGHIUS *Ann. ad A. U.* 709. III. 466. Legantur porro de hoc Oratoris noſtri filio, ut & de filia HORTENSIA, *in qua ſuperſtes fuit paterna eloquentia*, VALER. MAX. *L.* VIII. *c.* 3. *Ex.* 3. & APPIAN. ALEXAND. *Bel Civ. L.* IV. *p.* 978. *ſeqq.* BAYLIUS *in Lex. Hiſt. & Crit. in V.* & GLANDORPIUS *Onom. Hiſt. Rom. p* 405. *ſeqq.*; qui etiam conſuli merentur de HORTENSII nepotibus, Q. HORTENSIO CORBIONE & M. HORTENSIO HORTALO.

(1) *Cf.* PIGHIUS *Ann.* III. 402.

(2) *Brut. c.* 96.

„ Oratorem ſemper putavi, maximeque probavi pro
„ Meſſala dicentem, cum tu abfuiſti." Sic ferunt,
„ *reſpondet Cicero*, idque declarat totidem, quot dixit,
„ ut ajunt, ſcripta verbis oratio." (3)

In itinere jam aliquid de illa Meſſalae accuſatione audiverat Cicero; unde ſic ad Atticum ea de re ſcripſit: (4) „ De Meſſala ad te ſtatim, ut audivi, de
„ Gyaro dedi literas: & *id ipſum conſilium noſtrum*
„ *etiam ad* HORTENSIUM; cui quidem valde
„ *συνηγωνίων.*"

Nec tamen haec ſua facundia, qua reum Meſſalam HORTENSIUS poenae ſubduxit, egregium oratorem tutum praeſtare potuit, ne eadem hac defenſione in multorum odium incurreret, gravi contumelia afficeretur, quin & ſibilis a populo exciperetur. Rem narrat M. Coelius, ad Ciceronem ſic ſcribens. (5)

„ Certe, inquam, abſolutus eſt; me praeſente pro-
„ nunciatum eſt, & quidem omnibus ordinibus, &
„ ſingulis in unoquoque ordine ſententiis. Vide mo-
„ do; inquis. Non, mehercules: nihil enim umquam
„ tam praeter opinionem, tam quod videretur omni-
„ bus indignum accidit; quin ego, cum pro amicitia
„ validiſſime faverem ei, & me jam ad dolendum prae-
„ paraſſem: poſtquam factum eſt, obſtupui, & mihi
„ viſus ſum captus eſſe. Quid alios putas? clamori-

„ bus

(3) Legatur omnino de hoc judicio VALERIUS MAXIMUS *L.* V. *c.* 9. *Ex.* 2.

(4) *ad Att.* V. 12.

(5) *ad Div.* VIII. 2. Coelius enim decedenti Ciceroni pollicitus erat, ſe omnes res urbanas diligentiſſime perſcripturum: *ad Div.* VIII. 1.

„ bus ſcilicet maximis judices corripuerunt, & oſten-
„ derunt plane eſſe quod ferri non poſſet. Itaque
„ relictus *lege Licinia*, majore eſſe periculo videtur,
„ Acceſſit huc, quod poſtridie ejus abſolutionem in
„ theatrum Curionis HORTENSIUS introiit, puto ut
„ ſuum gaudium gauderemus. Hic tibi *ſtrepitus*, *fre-*
„ *mitus*, *clamor tonitruum*, *& rudentum ſibilus*. *Hoc*
„ *magis animadverſum eſt*, *quod intactus a ſibilo per-*
„ *venerat* HORTENSIUS *ad ſenectutem*. *Sed tum*
„ *ita bene*, *ut in totam vitam cuivis ſatis eſſet*, *&*
„ *poeniteret eum jam viciſſe*."

Meſſalam autem tum quidem abſolutum, deinde iterum in jus vocatum & condemnatum eſſe, patet ex *Epiſt. ad Div. L.* VIII. *E.* 4. Leg. P. MANUTIUS *Arg. Epiſt. ad Div.* VIII. 2.

§. XLIV.

Tandem, A. U. 703. L. AEMILIO PAULLO & C. CLAUDIO MARCELLO *Coſſ.* perpaucis ante mortem diebus HORTENSIUS, annum agens ſexageſimum quartum, una cum Bruto defendit (1) hujus ſocerum Appium Claudium, quem e Cilicia reducem, *de majeſtate* & *ambitu* accuſaverat Dolabella, (2) gener Ciceronis.

Paucos deinde poſt dies noſter HORTENSIUS probabiliter morbo correptus eſt. M. Coelius enim ad Ciceronem abſentem ſcribens, eique gratulatus affinita-

(1) Cf. CICERO *Brut. c.* 64. & 94.

(2) Cf. CICERO *ad Div.* VIII. 6. *cf.* III. 11. 12.

tate Dolabellae, Appii Claudii accuſatoris, addit in fine Epiſtolae (3). Q. HORTENSIUS, *cum has litteras ſcripſi, animam agebat.* Et ipſe CICERO, acerbiſimi caſus mentionem facit in Epiſtola ad Atticum (4), eodem fere hoc tempore ſcripta, his verbis: „ *De* HORTENSIO *te certo ſcio dolere; equidem excrucior: „ decreram enim cum eo valde familiariter vivere.*"

Erat ſcilicet Cicero in eo ut de diſceſſu e Provincia cogitaret, eique jam C. Coelium Caldum Quaeſtorem praefecerat, & peragrata provincia Rhodum volebat, ſuorum filiorum cauſſa; (5) quo cum veniſſet, de Q. HORTENSII *morte*, illi certum nuntium allatum eſt (6).

§. XLV.

Quo autem genere morbi correptus diem obierit ſupremum HORTENSIUS, non liquet: videtur tantum perpaucis ante mortem diebus, optima etiamnunc valetudine Appium defendiſſe.

GLANDORPIUS (7) tamen affirmat, eum a vita diſceſſiſſe, *clamore in actione cauſae diruptum*; allato in hanc rem SERENO SAMMONICO: quo facto nihil aliud probat, niſi, neque ſe Sammonicum intellexiſſe, neque ſatis accurate Ciceronem (8) tractas-

(3) *ad Div.* VIII. 13.
(4) *ad Att.* VI. 6.
(5) *Epiſt. ad Att.* VI. 7.
(6) CICERO *Brut. init.*
(7) *Onom. Hiſt. Rom. p.* 405. *ſqq.*
(8) *Brut. c.* 96. „ Ergo HORTENSIUS a Craſſo conſule &

ctasse; quippe qui nihil omnino de tam triſti mortis cauſſa dixerit, quod tamen judice BAYLIO, (1) non omiſiſſet ſi hoc ita certum ac cognitum fuiſſet. Canit vero Q. SERENUS: (2)

Aegreſcunt tenerae fauces, cum frigoris atri
Vis ſubiit, vel cum ventis agitabilis aër
Vertitur, atque ipſos flatus gravis inficit unda.
Vel rapidus clamor, fracto cum forte ſonore
Planum radit iter; ſic eſt HORTENSIUS *olim*
Abſumptus, cauſis etenim confectus agendis,
Obticuit, cum vox domino vivente periret;
Et nondum exſtincti moreretur lingua diſerti.

Ex quibus verbis effici nequit, HORTENSIUM de vita deceſſiſſe, *clamore in actione cauſae diruptum.*

§. XLVI.

Ceſſit omnino noſter HORTENSIUS eo tempore e vita, quo Romana Respublica jamdiu multis modis labefactata, tandem penitus pesſumdata erat, ambitione duorum potentiſſimorum civium, Caeſaris & Pompeji; quorum inimicitiae in ipſum bellum civile erupuerunt, adeo vehemens atque atrox, ut univerſa civitas Romana ab hoc furore vix innocua permanſerit: cu-

„ Scaevola usque ad Paullum & Marcellum conſules floruit; nos in „ eodem curſu fuimus a Sulla dictatore ad eosdem fere conſules. „ Sic Q. HORTENSII vox exſtincta fato ſuo eſt, noſtra publico."

(1) *in Lex. Hiſt. Crit. in V. not. M.*

(2) *de Re Medica. cap.* 15.

cujusque libertati Romanae infauſtum futurum exitum, HORTENSIUS, CICERO, aliique viri patriae amantiſſimi, ſincere ploraverunt.

HORTENSIUS autem, uti erat prudentiſſimus praeteriti temporis judex, & praeſentis conſtans atque indefeſſus actor, ſic futuri exiſtimator erat providus & ſagax; ideoque fortunatum illius exitum praedicat Cicero, (3) qui ea non vidiſſet cum fierent, quae providiſſet futura: „ Saepe enim, *inquit*, inter nos impendentes caſus de„ flevimus, cum belli civilis cauſas in privatorum „ cupiditatibus incluſas, pacis ſpem a publico conſilio „ eſſe excluſam videremus. Sed illum videtur felicitas „ ipſius, qua ſemper eſt uſus, ab eis miſeriis quae „ conſecutae ſunt, morte vindicaſſe."

Et revera, ſi omnia, quae de HORTENSII vita & rebus geſtis dicta ſunt, perpendamus, non poſſumus non mirari ſummam ejus felicitatem, qua patrem nactus erat virum egregium, qui liberali educatione & inſtitutione elaboratum pueri ingenium, exemplo ſuo ad omnes virtutes informavit; quique ipſe functus ornatiſſimis magiſtratibus, filium HORTENSIUM, inde ab egreſſu adoleſcentiae, eo loco in Republica poſuit, ubi praeclarae ingenii illius facultates magis magisque eluceſcerent & augerentur.

Pollebat praeterea HORTENSIUS ea arte quae jure maxima habetur: „ nihil enim, *judice Craſſo apud* CI„ CERONEM, (4) praeſtabilius videtur, quam poſſe „ dicendo tenere hominum coetus, mentes allicere, „ voluntates impellere, quo velit; unde autem velit, „ de-

(3) *Brut. cap.* 96.
(4) *de Orat. L.* I *c.* 8.

„ deducere. — Quid enim eſt aut tam admirabile,
„ quam ex infinita multitudine hominum exſiſtere
„ unum, qui id, quod omnibus natura ſit datum, vel
„ ſolus, vel cum paucis facere poſſit? aut tam jucun-
„ dum cognitu atque auditu, quam ſapientibus ſen-
„ tentiis gravibusque verbis ornata oratio & polita?
„ aut tam potens, tamque magnificum, quam populi
„ motus, judicum religiones, ſenatus gravitatem,
„ unius oratione converti? Quid porro tam regium,
„ tam liberale, tam munificum, quam opem ferre ſup-
„ plicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare
„ periculis, retinere homines in civitate." caet.

Quid autem HORTENSIUS hac incomparabili facundia effecerit, ſaepius vidimus; & quot cauſſas defenderit cum Republica conjunctas, & in quibus cum Cicerone, non tantum de reorum ſalute, ſed praecipue de civium libertate fortiter eſt praeliatus.

Magiſtratuum annos etiam feliciter ſatis pacatos tranquillosque habuit, praeſertim Conſulatum. Quid multa! omnia aſſecutus eſt quae homini Romano, ſive in foro, ſive in Senatu, ſive in ſacerdotiis praeclara poterant accidere. Optimos, clariſſimos, doctiſſimosque viros habuit amicos, Atticum, Varronem, Ciceronem, Catulos, Catonem, Siſennam, Lucullos, aliosque, quibuscum familiariter vixit: & graviſſimo curarum, quas pro Republica ſuſceperat, pondere fatigatus, *ad Baulos, vel in Tuſculanum* (1) ſuum decedens, illic ho-

(1) Poſuit HORTENSIUS in hoc *Tuſculano* ſuo, egregiam Cydiae tabulam, *Argonautas*, quam grandi pecunia ab hoc emerat, teſte PLINIO, *Hiſt. Nat.* XXXV. 11. Hujus praedii Tuſculani etiam mentionem facit MACROBIUS, *Saturn. L.* II. *cap.* 9. (III. 13.) in quo

honeſto & liberali otio delectabatur, omnesque aerumnias & ſollicitudines deponebat. Hic ſcilicet illum

„ ge-

quo capite plura omnino dubiae fidei ἀνέκδοτα de HORTENSIO ſcripſit: „ Primushos (pavones) Q. HORTENSIUS Augurali aditiali coena poſuiſſe dicitur: quod potius factum tum luxurioſi quam ſeveri boni „ viri laudabant. — Is HORTENSIUS platanos ſuas vino irrigare „ conſuevit: adeo ut in actione quadam, quam habuit cum Cicerone „ ſuſceptam, precario a Tullio poſtulaſſet, ut locum dicendi permutaret ſecum: abire enim in villam neceſſario ſe velle, ut vinum platano, quam in *Tuſculano* poſuerat, ipſe ſuffunderet. Sed forte ad „ notam ſaeculi ſui non ſufficit HORTENSIUS, vir alioquin ex „ profeſſo mollis & in praecinctu ponens omnem decorem. Fuit „ enim veſtitu ad munditiem curioſo: & ut bene amictus iret, faciem in ſpeculo quaerebat; ubi ſe intuens togam corpori ſic applicabat, ut rugas, non forte ſed induſtria locatas, artifex nodus „ adſtringeret, & ſinus ex compoſito defluens modum lateris ambiret. Is quondam, cum incederet elaboratus ad ſpeciem, collegae de injuriis diem dixit, quod ſibi in anguſtiis obvius, offenſu „ fortuito ſtructuram togae deſtruxerat: & capitale putavit quod in „ humero ſuo locum ruga mutaſſet." De *Pavonibus*, quos in Augurali aditiali coena primus HORTENSIUS poſuiſſe dicitur, conſentiunt PLINIUS *Hiſt. Nat.* X. 20. AELIANUS περὶ ζώων ἰδιότητος *L.* V. *c.* 21. & VARRO *de R. R.* III. 6. ad quem l. vid. *Victorius* & *Schoetgenius.* Ultima vero haec, de ridicula illa injuriarum actione, ob ſtructuram togae deſtructam inſtituta, ſolum MACROBIUM habent auctorem, & tam abſurda ſunt ut merito de iis dubitare videamur; neque in iis quae GELLIUS *Noct. Att. L.* I. *c.* 5. ſcripſit, ullum praeſidium recte quaeritur. „ Demoſthenem, *inquit*, tradunt „ veſtitu ſincero & cultu corporis nitido venuſtoque & nimis accurato fuiſſe. — Ad eundem modum HORTENSIUS, omnibus ferme oratoribus aetatis ſuae, niſi M. Tullio, clarior, quod multa „ munditia & circumſpecte compoſiteque indutus & amictus eſſet, „ manusque ejus inter agendum forent argutae admodum & geſtuoſae, *maledictis compellationibusque probroſis jactatus eſt*; multaque in „ eum, quaſi in hiſtrionem, in ipſis cauſſis atque judiciis dicta „ ſunt." caet.

„ — — — *gelidum nemus*
„ *Nympharumque leves cum Satyris chori*

ſecernebant a populo. (1)

Neque tamen haec omnia HORTENSIUM communi hominum ſorti eximere, & a morte liberare potuerunt: nempe

— — — *omnes una manet nox,*
Et calcanda ſemel via leti.
Dant alios Furiae torvo ſpectacula Marti:
Exitio eſt avidis mare nautis.
Miſta ſenum ac juvenum denſentur funera: nullum
Saeva caput Proſerpina fugit. (2)

Divesne priſco natus ab Inacho
Nil interest, an pauper & infima

De

(1) HORATIUS *Carm.* I. 1. *vſ.* 30. Habuit HORTENSIUS, praeter memoratas *ad Baulos* & *Tuſculanum* villas, tertiam in *agro Laurenti*, propter ampliſſimum leporarium maxime celebrem; citatur enim etiam in exemplum apud VARRONEM, *de R. R.* III. 13. referentem ſermones, quos *de villa perfectâ* cum Axio, Appio Claudio Augure, Cornelio Merula, aliisque habuerat. (*de R. R.* III. 1. & 2.)
„ Ego vero, inquit ille, apud Q. HORTENSIUM cum *in agro*
„ *Laurenti* eſſem, ibi iſtuc magis τραγικῶς fieri vidi. Nam ſilva
„ erat (ut dicebat) ſupra quinquaginta jugerum maceria ſepta,
„ quod non leporarium, ſed θηριοτροφεῖον appellabat. Ibi erat locus
„ excelſus, ubi triclinio poſito coenabamus. *Quintus* Orphea vocari juſſit; qui cum eo veniſſet cum ſtola & cithara, & cantare
„ eſſet juſſus; buccinam inflavit, ubi tanta circumfluxit nos cervorum, aprorum, & caeterarum quadrupedum multitudo, ut non
„ minus formoſum mihi viſum ſit ſpectaculum, quam in *Circo Maximo* Aedilium, ſine Africanis beſtiis cum fiunt venationes."

(2) HORATIUS *Carm.* I. 28. *vſ.* 15.

De gente ſub divo moreris,
Victima nil miſerantis Orci.
Omnes eodem cogimur: omnium
Verſatur urna ſerius ocius
Sors exitura; & nos in aeternum
Exilium impoſitura cymbae. (3)

Quae vero HORTENSII felicitas in ipſa morte fuerit, patet ex inſigni CICERONIS teſtimonio, quo amici defuncti memoriam proſecutus eſt, his verbis: (4) „ Sed, quoniam perpetua quadam felicitate „ uſus ille ceſſit e vita, ſuo magis, quam ſuorum „ civium tempore, & tum occidit, cum lugere facilius „ Rempublicam poſſet, ſi viveret, quam juvare; vixit„ que tamdiu, quam licuit in civitate bene beateque „ vivere: noſtro incommodo, detrimentoque, ſi eſt „ ita neceſſe, doleamus: illius vero mortis opportuni„ tatem benevolentia potius, quam miſericordia proſe„ quamur, ut, quotiescunque de clariſſimo & beatiſſi„ mo viro cogitemus, illum potius, quam nosmet„ ipſos, diligere videamur. Nam ſi id dolemus, quod „ eo jam frui nobis non licet; noſtrum eſt id malum: „ quod modice feramus, ne id non ad amicitiam, ſed „ ad domeſticam utilitatem referre videamur: ſin, tan„ quam illi ipſi acerbitatis aliquid acciderit, angimur; „ ſummam ejus felicitatem non ſatis grato animo inter„ pretamur. Etenim ſi viveret Q. HORTENSIUS, „ caetera fortaſſe deſideraret una cum reliquis bonis & „ fortibus civibus; hunc autem praeter caeteros, aut cum

(3) HORATIUS *Carm.* II. 3. *vſ.* 20.
(4) *Brut. c.* 1. & 2. Cf. VELLEJ. PATERC. *Hiſt. Rom.* II. 49.

„ cum paucis ſuſtineret dolorem, cum forum populi
„ Romani, quod fuiſſet quaſi theatrum illius ingenii,
„ voce erudita, & Romanis Graecisque auribus digna,
„ ſpoliatum atque orbatum videret. — Itaque ii mihi
„ videntur fortunate beateque vixiſſe, cum in caeteris
„ civitatibus, tum maxime in noſtra, quibus cum
„ auctoritate, rerumque geſtarum gloria, tum etiam
„ ſapientiae laude perfrui licuit."

Tandem, ut huic Sectioni finem imponamus, in Q. HORTENSII noſtri indolem ac mores, omnemque adeo vitam, egregie convenit pulcherrimus STATII locus. (1)

Tu, cujus placido poſuere in pectore ſedem
Blandus honos, hilarisque (tamen cum pondere) virtus:
Cui nec pigra quies, nec iniqua potentia, nec ſpes
Improba; ſed medius per honeſta & dulcia limes:
Incorrupte fidem, nullosque experte tumultus,
Et ſecrete palam: qui digeris ordine vitam;
Idem auri facilis contemptor, & optimus idem
Comere divitias, opibusque immittere lucem.

(1) *Syl.* II. 3. *vſ.* 64.

SECTIO ALTERA.

DE Q. HORTENSIO ORATORE ROMANO.

Exordium. CAPUT I. De Q. HORTENSII ingenii dotibus, oratoria facultate, memoria, caet. & de ejus ſcriptis. §§. I, II. *Quaedam de Juriſconſultis & cauſſarum patronis.* HORTENSIUS *non Juriſconſultus.* §. III. *Ejus memoria.* §. IV. *In ſtudiis ardor. Magiſtri. Scripta, Annales, Carmina, alia.* §. V. HORTENSIUS *non Philoſophus. Ciceronis liber* HORTENSIUS. §. VI. HORTENSII *diligentia in partiendo.* §. VII. *Ejus actio ſive pronunciatio: magis auditus quam lectus placuit.* §. VIII. *Cur adoleſcens magis floruerit quam ſenior* HORTENSIUS.

CAPUT II. De cauſſis quas egit HORTENSIUS. §. I. *Earum numerus ingens; cum Cicerone aliisque patronis easdem ſaepe egit: perorandi locum plerique Ciceroni relinquebant.* §. II. *Cauſſae Africae, Regis Bithyniae, Cn. Pompeji Magni.* §. III. *P. Quintii.* §. IV. ASCONIUS PEDIANUS a PIGHIO *correctus.* §. V. *Cauſſa Cn. Cornelii Dolabellae.* §. VI. *Alterius Cn. Corn. Dolabellae. M.*

Canulcji. §. VII. *Terentii Varronis.* §§. VIII—X. *Judicium C. Verris, & in eo* HORTENSII *ars & ſtudium.* §. XI. *Cauſſae C. Rabirii, L. Murenae.* §. XII. *P. Sullae. Varguntеji.* §. XIII. *L. Valerii Flacci, & alterius Valerii.* §. XIV. *M. Scauri, Plancii, Procilii, Milonis,* caet.

CAPUT. III. De aemulatione HORTENSIUM inter & CICERONEM.

EXORDIUM.

His igitur relatis, quae de Q. HORTENSII vita & rebus geſtis, qua Civis & Senatoris Romani, praecipue memoranda videbantur, nobis nunc ex propoſito ordine agendum eſt, de egregiis illius ingenii dotibus & in eloquentia meritis, quae revera Ciceroni incitamenta fuerunt, ad comparandam illam ſibi facundiam „ cujus quidem perfectae modus & menſura, „ ut fuit ab omni tempore prudentiſſimorum homi„ num certa ſententia, in eo continetur." (1)

Ab hac autem HORTENSII praeſtantia, tanquam a fonte, derivanda videtur Ciceronis perfectior ars; quippe qui hujus laudibus non deterritus, magis vero ad

(1) D. WYTTENBACHIUS *Bibl. Crit. Vol.* I. *P.* 2. *p.* 2.

ad ſtudium incitatus, quod in HORTENSIO divinum quaſi eſſet, imitari, quod vero humanum minusque perfectum, evitare & rejicere potuit. Omnino enim recte judicat QUINCTILIANUS, (1) „ Quin„ imo ſi hanc cogitationem homines habuiſſent, ut „ nemo ſe meliorem fore eo, qui optimus fuiſſet, ar„ bitraretur: ii ipſi, qui ſunt, optimi non fuiſſent: „ *neque poſt Lucretium ac Macrum Virgilius, neque* „ *poſt Craſſum &* HORTENSIUM *Cicero*, ſed nec „ alii poſtea vicerint."

Examinemus itaque, Cicerone praeſertim duce & auctore, quam rationem in ſtudiis ſecutus ſit noſter HORTENSIUS, & quo genere eloquentiae, per diverſa vitae tempora, maxime floruerit; breviter dein referemus omnes cauſſas quas eum egiſſe deprehendimus; & tandem, huic qualicunque diſputationi finem imponemus, accuratiore examine & judicio de celebri quaeſtione, quae verſatur circa aemulationem HORTENSIUM inter & CICERONEM.

(1.) *de Inſt. Orat. L.* XII. *c.* 11. *p.* 1113.

CAPUT PRIMUM.

DE Q. HORTENSII INGENII DOTIBUS, ORATORIA FACULTATE, MEMORIA, CAET. ET DE EJUS SCRIPTIS.

§. I.

Ut autem, quae in hoc Capite, & univerſe in hac Sectione tractanda ſunt, melius clariusque exponantur, nonnulla, quam breviſſime potero, hic inferam ad Cauſarum Patronos & Jurisconſultos pertinentia; & haec quidem maxime ex CICERONIS ſcriptis petita, ne nimii ſimus in auctoritatibus enumerandis.

Et recte, ut mihi quidem videtur, affirmat EVERARDUS OTTO, (1) tres artes eo tempore fuiſſe quibus cives ad dignitatis gradus ſibi adſcenſum pararent; primam *Militis*, alteram *Oratoris*, tertiam denique *Jurisconſulti*.

Quemadmodum vero neque Servius Sulpicius, neque Cicero, ad belli ſtrepitum & negotia informatos a natura animos acceperant, ſic HORTENSII etiam mite ingenium ab inquieta militari vita valde abhorruit

(1) *In Differt. de Vita Servii Sulpicii Ruſi. c. 3o §. 1. Theſ. Jurr.* OTTONIS *T. V. p.* 1566.

ruit, ut non niſi per duos annos, cum in foro, theatro ſuae gloriae, judicia intermiſſa videret, ſtipendia meruerit; & dein ab omni bello religioſe ſe abſtinuerit.

Miſſa igitur militia, ſupererat vel ſtudium juris publici, patriarumque legum & conſuetudinum, vel exercitatio earum ſcientiarum quae maxime valent ad aliquem informandum, ut perfecti oratoris perſonam poſſit tueri. Harum artium alteram, ſimul ac togam virilem ſumſiſſet, ſibi elegit HORTENSIUS; conſtituitque adoleſcens in ſtudium eloquentiae incumbere, ut & ſibi honori, & amicis utilitati, & Reipublicae emolumento eſſe poſſet. (2)

Juris civilis, veluti Cicero, tantum ſcire voluit HORTENSIUS, quantum oratori eſſet ſatis. Non enim Servium Sulpicium ſecutus, (3) eloquentiam aſſumebat ut jus civile facilius poſſet tueri; ſed juris publici privatique cognitionem eloquentiae conjunxit, quia cum Craſſo, (4) inertiae primum, & impudentiae condemnabat eos patronos, qui non dubitarent „ volitare „ in foro, haerere in jure ac praetorum tribunalibus, „ judicia privata magnarum rerum obire, in quibus „ ſaepe non de facto, ſed de aequitate ac jure certaretur, jactare ſe in cauſis centumviralibus, in „ quibus uſucapionum, tutelarum, gentilitatuum, „ agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, ſtillicidiorum, teſtamentorum ruptorum aut ratorum, caeterarumque rerum innumerabilium jura verſarentur, „ cum omnino, quid ſuum, quid alienum, quare de-

„ ni-

(2) Cf. CICERO *de Orat. L.* I. *c.* 8.

(3) Cf. CICERO *Brut. c.* 40.

(4) CICERO *de Orat. L.* I. *c.* 38.

„ nique civis aut peregrinus, ſervus aut liber quis-
„ piam eſſet, ignorarent."

Ab hac igitur inertia & impudentia alieniſſimus fuit HORTENSIUS, quem Catulus confidebat (1) omnibus iſtis laudibus, quas Craſſus, in oratione de optimo Oratore complexus erat, *excellentem fore*; neque eum ita *fore* judicabat ipſe Craſſus, *verum jam eſſe* ſentiebat, „ *nihil*, inquiens, *iſti adoleſcenti, neque* „ *a natura, neque a doctrina deeſt;*" eoque magis Cottae & Sulpicio vigilandum ac laborandum dicebat, „ non quod HORTENSIUS mediocris orator illo-
„ rum quaſi ſuccreſceret aetati; *ſed ingenio peracri,* „ *& ſtudio flagranti, & doctrina eximia, & memo-*
„ *ria ſingulari:*" quae quidem ſententia, profecta a *Craſſo*, de perfecto Oratore differente, & in eo maxima quaevis requirente, vim habet ſingularem.

Haec igitur quae diximus eo valent, ut ſignificemus HORTENSIUM non verum Jurisconſultum fuiſſe; id eſt, non eum qui legum & conſuetudinis ejus qua privati in civitate uterentur, ita peritus eſſet, ut ad reſpondendum, & ad ſcribendum, & ad cavendum, ſuis vacare potuiſſet civibus. (2)

§. II.

Fuerunt nempe in Romana Republica hae partes Oratoris & Jurisconſulti ſeparatae; ita tamen, ut aliquando exſtiterint egregii viri, qui has conjungerent, & Oratores Jurisconſultique ſimul eſſent. Antiqui-

(1) CICERO *de Orat. L.* III. *c.* 61.

(2) *Cf.* CICERO *de Orat. L.* I. *c.* 48.

quitus enim, teſte *Craſſo* apud CICERONEM (3), illi qui ſapientiae gloria excellere ſtudebant, *omnia complecti ſolebant, quae quidem tum Romana civitas poſſet.*

Tales fuerunt Sex. Aelius Catus, M' Manilius, qui transverſo ambulabant foro, *quod erat inſigne, eum qui id faceret, facere civibus omnibus conſilii ſui copiam.* Hoc fecerunt P. Craſſus, Tib. Coruncanius & multi alii, inter quos etiam M. Cato: „ quid „ enim, *inquit Craſſus*, (4) — num quia Jus Civile „ didicerat, cauſas non dicebat? aut quia poterat di„ cere, Juris Civilis ſcientiam negligebat?" Hi igitur utroque in genere elaboraverunt; alii vero horum aequales, minore, ut fit, ingenio vel eruditione inſtructi, in alterutra tantum harum artium ſtudium laboremque ponebant.

Plurimis dein negotiis diſtricti, haec ſtudia eloquentiae & juris civilis magis ſeparaverunt Romani, ut tandem pauci tantum invenirentur, qui utriusque ſtudii gloriam & uſum ſibi vindicarent. Horum in numero primus eſt *Q. Mucius Scaevola*, disciplina Juris Civilis eruditiſſimus, & ingenio prudentiaque acutiſſimus, & oratione maxime limatus & ſubtilis; quare & *juris peritorum eloquentiſſimus, & eloquentium juris peritiſſimus* dicitur a Craſſo (5). Talis etiam fuit *C. Aquilius Gallus, privati juris & publici bene peritus*, idemque *promptus & paratus in agendo reſpondendoque*, item *L. Lucilius Balbus* (6); fuerunt & alii.

Hi

(3) *de Orat. L.* III. *c.* 33.
(4) *l. l.*
(5) CICERO *de Orat. L. I. c.* 39. *Cf. c.* 53. *&* 57. *Brut. c.* 52.
(6) Cf CICERO *Brut. c.* 42.

Hi itaque duo haec tenebant & profitebantur; amicorum cauſſas ſtudioſe recipiebant & agebant in foro, & mane domi ſedentes, ſe de omnibus juris capitibus conſuli patiebantur.

Alii, uti *Servius Sulpicius Craſſusque*, ſapientiſſime judicantes, has duas civiles artes & forenſes plurimum & laudis habere & gratiae, perfecerunt, ut altera plurimis praeſtarent, ex altera tantum aſſumerent, quantum eſſet vel ad tuendum jus civile, vel ad eloquentiam ornandam ſatis; (1) quare *Craſſus* ſe conſuli nolebat, & *Servius Sulpicius* cauſſas agere deſiit; „ in jure civili enim „ maluit primus eſſe, quam in eloquentia ſecun„ dus." (2) Tria ſic genera conſtituere poſſumus; erant enim vel Jurisconſulti, vel Oratores ſive cauſſarum Patroni, vel utramque artem edocti cavebant, ſcribebant, & reſpondebant de jure, & reorum cauſſas in foro, Praetorumque tribunalibus agebant.

In hac quidem doctrina & diſtinctione tota ſita eſt quaeſtio, *an Cicero fuerit Jurisconſultus?* cui ſimilis alia aequo jure agitari poſſet, *an* HORTENSIUS *fuerit Jurisconſultus?* quod mihi quidem de utroque negari debere videtur: cum nullibi conſtet, eos his reſpondendi, ſcribendi, cavendique officiis, quae veri nominis Jurisconſultum conſtituebant, functos fuiſſe. Et certius hoc apparet, ſi attendamus ad ipſam Jurisconſulti notionem, quam ipſe Cicero ſequitur in libris Oratoriis: in quibus eleganter, & cauſſarum Patroni, & Jurisconſulti officia definivit; neque umquam ea confundere videtur. (3)

Ne-

(1) Cf. CICERO *l. l.*

(2) CICERO *Brut. c.* 41.

(3) Quam accurate Cicero hoc diſcrimen obſervaverit aliquot lo-

Neque ſolus Cicero, ut erat accuratiſſimus, hoc diſcrimen ſemper obſervat, verum & optimi Poetae, *Ovidius*, *Horatius*, caet. illud quovis loco inculcant; quam in rem nonnulla diſerta eorum loca, animi cauſſa in medium afferre liceat: Sic canit OVIDIUS *Art. Amat. L.* I. *vſ.* 79.

Et fora *conveniunt* (*quis credere poſſit?*) *amori;*
Flammaque in arguto *ſaepe reperta* foro.
Subdita qua Veneris facto de marmore templo
Appias expreſſis aëra pulſat aquis.
Illo ſaepe loco capitur conſultus Amori:
Quique aliis cavit, non cavet ipſe ſibi.
Illo ſaepe loco deſunt ſua verba diſerto:
Resque novae veniunt, cauſſaque agenda ſui eſt.
Hunc Venus e templis, *quae ſunt confinia*, *ridet.*
Qui modo patronus, *nunc cupit eſſe* cliens.

et

locis confirmare liceat, in quibus *Prudentibus* ſeu *Juriſconſultis* omnino alia tribuit quam *Oratoribus*, *Cauſſarumque Patronis.* Pertinent huc *de Orat. L.* I. *c.* 9. 10. 15. 36. 38. 39. 48. 49. 55. — 60. *L.* II. *c.* 33. 55. *L.* III. *c.* 33. *Bruti c.* 26. 29. 30. 34. 39. 40. 41. 47. 52. *Orat. c.* 41. *ſeqq. Orat. pro Quintio c.* 16. 17. *pro Murena c.* 4. 9. — 14. *pro Flacco. c.* 32. *pro Plancio. c.* 25. etiam Epiſtolae *L.* VII. *ad Div. ad Trebatium Juriſconſultum* ſcriptae. His enim dilucide oſtenditur, duo haec diverſa ſtudia fuiſſe, quae pauci tantum ſimul & recte tractarent. Erant enim Oratores qui jus civile contemnerent, quorum quidem ſingularis ac divina ingenii vis erat, ſed, ut *Antonii*, nudata juris ſcientia. Contra, plurimi a natura forte minus ad eloquentiam informati, domeſticis ſtudiis & lucubrationibus ſibi comparabant juris publici, privati, pontificiique cognitionem perfectam, civibus utiliſſimam, ipſis vero honorificam.

et *Art. Amat. L.* III. *vſ.* 529. (1)

Vos quoque, de nobis quem quisque ſit aptus ad uſum,
Inſpicite: & certo ponite quemque loco.
Munera det dives, jus qui profitebitur, adſit:
Facundus cauſſam ſaepe clientis agat.

et HORATIUS *Epiſt.* I. 3. *vſ.* 23. ad Julium Florum,

Seu linguam cauſis acuis, ſeu civica jura
Reſpondere paras, *ſeu condis amabile carmen;*

et *Art. Poet. vſ.* 369.

— — conſultus juris & actor
Cauſarum mediocris abeſt virtute diſerti
Meſſalae, — — —

In Jure Civili tandem hoc diſcrimen innuitur in *L.* 2. *D. de Orig. Jur.* §. 40. praeſertim in hiſtoria *Servii Sulpicii* (2) §. 43. Legantur §§. 45. & 46. ubi Tubero dicitur *a cauſſis agendis tranſiiſſe ad Jus Civile.*

His praemiſſis, nunc de HORTENSIO porro videamus.

§. III.

Adoleſcens HORTENSIUS itaque, mature ſuam ope-

(1) Cf. & OVIDIUS *Amor. L.* I. *Epiſt.* 13. *vſ.* 19. *ſeqq. Epiſt.* 15. *vſ.* 5. *Rem. Amor. vſ.* 151.

(2) Cf. EV. OTTO *l. l. c.* 4. *Theſ. Juris* OTTONIS *T.* V. *p.* 1573. *ſeqq.*

operam Reipublicae illuſtriſſimis defenſionibus vel accuſationibus commendavit; unde a QUINCTILIANO, (3) cum Lucullis, Sulpicio, Cicerone, Caeſare, aliisque, nominatur inter eos claros juvenes, principesque in Republica, „ qui non quidem accuſatoriam „ vitam vixerint, ſed non dubitarint tamen peſtem in„ teſtinam ita propulſare, & crediti ſint obſidem Rei„ publicae dare, malorum civium accuſationem."

Inciderat etiam fortuna HORTENSIUS in aetatem illorum Oratorum, qui juris peritia in cauſſis non vulgari utebantur, & quorum de meritis diſertiſſima ſunt Ciceronis teſtimonia, in *quinque libris Oratoriis*, aliisque.

Memoria autem valebat tanta, quantam in ullo cognoviſſe ſe arbitrabatur Cicero, qui & ſaepius eam celebravit (4), HORTENSIUM annumerans iis qui hac arte celeberrimi exſtiterunt, *Simonidi*, qui eam inveniſſe dicitur, *Theodecti*, *Cyneae*, *Charmadae*, *Scepſio Metrodoro*, caet. Praeſtantior tamen L. Luculli memoria a Cicerone habebatur; (5) cum *Lucullus divinam memoriam rerum haberet*, HORTENSIUS *majorem verborum*.

Conveniunt cum his Ciceronis teſtimoniis, ea quae QUINCTILIANUS, (6) ſimilia fere ſcripſit, praeſertim vero quod SENECA (7) narrat: „ HORTEN„ SIUM a Siſenna (8) provocatum, in auctione per„ ſo-

(3) *de Inſt. Orat. L.* XII. *c.* 7. *p.* 1074.
(4) *Tuſc. Quaeſt. L.* I. *c.* 24.
(5) *Acad. Quaeſt. L.* IV. *c.* 1.
(6) *de Inſt. Or. L.* X. *c.* 6. *p.* 948.
(7) *Proem. Declamat.*
(8) L. SISENNA, doctus vir & ſtudiis optimis deditus, bene

„ ſediſſe totum diem, & omnes res, & pretia, & em-
„ ptores, ordine ſuo, argentariis recognoſcentibus, re-
„ cenſuiſſe, ita ut in nullo falleretur." Legatur QUINCTILIANUS *de Inſt. Orat. L.* XI. *cap.* 2. *pag.* 988. de eodem hoc facto. De memoria, & qua ratione tanquam ars a veteribus culta fuerit, legantur CICERO *de Orat. L.* I. *c.* 5. 34. *&* *L.* II. *c.* 85. *in fine* — 88. & QUINCTILIANUS *d. l. p.* 982. *ſeqq.*

§. IV

Accedebant ad hanc naturalem memoriae praeſtantiam ſumma arte excultam, flagrantiſſimus ſtudiorum ardor, optimorum magiſtrorum inſtitutione temperatus, & exempla eorum quibuscum de regno judiciorum diu pugnavit. Quid vero non vel ſolus ardor efficere debuit in ingenio, a natura tam liberaliter omnibus intelligentiae & eloquii facultatibus orrato? Fuit autem illud ingenium forte magis adhuc ſubactum & politum ſtudio Molonis Rhodii, cui Cicero etiam operam dedit; (1) & univerſe, plurimum debuit HORTENSIUS conſuetudini doctiſſimorum Graecorum, qui eo juvene Romam ſatis frequentes venerunt, bellum Mithridaticum

latine loquens. — „ Hujus omnis facultas ex hiſtoria ipſius perſpici „ poteſt; quae cum facile omnes vincat ſuperiores, tum indicat „ tamen, quantum abſit a ſummo", caet. CICERO *Brut. cap.* 64. quod inter HORTENSII familiares fuerit, colligimus ex iis quae PLUTARCHUS retulit *in Vita Luculli T.* I. *p.* 492. *A.* etiam C. Verris fuit defenſor Cf. *Act.* II. *L.* 2. *c.* 45. *L.* 4. *c.* 15. *&* 20. de eo legatur CORRADUS ad *l. Ciceronis locum. p.* 344. *Cf.* ERNESTI *in Cl. Cicer. in V. &* G. J. VOSSIUS *de Hiſtor. Latin. L.* I. *c.* 10.

(1) *Brut. cap.* 89.

cum fugientes; ſic Archias, qui Romam venit Mario & Catulo Coſſ. A. U. 651. (2) „ illis temporibus ju-
„ cundus erat Q. Metello — Numidico; vivebat cum
„ Catulis, — a L. Craſſo colebatur: Lucullos vero,
„ & Druſum, & Octavios, & Catonem, & *totam*
„ HORTENSIORUM *domum*, *devinctam conſuetu-*
„ *dine cum teneret*, *afficiebatur ſummo honore*; quod
„ eum non ſolum colebant, qui aliquid percipere at-
„ que audire ſtudebant, verum etiam ſi qui forte ſi-
„ mulabant."

Duodecimum tum HORTENSIUS agebat annum, & Archia in Graecis magiſtro uti potuit; quin & ab eo etiam illum Poeſeos ſenſum forte hauſit, e quo manarunt illa Carmina Amatoria a veteribus laudata.

Quin Graece bene ſciverit, mihi dubium non eſt, cum ob ſtudium hujus linguae, quod Romae eo tempore apud ingenuos & primarios viros maxime invaluerat; tum, ob exempla quae poſteris univerſae ſuae eruditionis reliquit (3): cum CORRADO (4) igitur non dubitem affirmare, HORTENSIUM bene doctum fuiſſe.

Scripſit certe ANNALES, qui a VELLEJO PATERCULO (5) laudantur, quod in iis *maxime di-*
lucideque retulerit de virtutibus Minatii Magii (6).

An

(2) CICERO *Or. pro Archia c.* 3.

(3) Errat omnino MORABIN, in libro cui titulus *Hiſtoire de l'Exil de Ciceron p.* 238. putans, HORTENSIUM nullas umquam Orationes evulgaſſe.

(4) *Com. ad Brut. Ciceronis. p.* 428.

(5) *Hiſt. Rom. L.* II. *c.* 16. Cf. VOSSIUS *de Hiſt. Latin. L.* I. *c.* 11.

(6) De Minatiis Magiis legatur PIGHIUS *Ann. A.* 671. III. 255.

An, praeter haec, alia Hiſtorica ediderit, non conſtat. Orationes enim, quas habuit & ſcripſit, etſi plurima ad hujus temporis cognitionem ſpectantia continerent, hic in cenſum non veniunt. Aliud autem opuſculum memorat QUINCTILIANUS (1), quod ad Oratoriam artem pertinuiſſe videtur.

In *Poeſi* illum induſtriam ſuam, fortaſſe nimis procacem, etiam poſuiſſe, plures teſtantur veteres (2), in primis OVIDIUS: (3)

Nec minus HORTENSIÎ, *nec ſunt minus improba Servî*
Carmina; quis dubitet nomina tanta ſequi?

Queritur enim OVIDIUS ibi graviter, Q. HORTENSIO, Servio Sulpicio, aliisque Romanis licuiſſe, impune Carmina Amatoria ſcribere, cum in ſe hoc tam crudeliter fuerit punitum.

§. V.

De HORTENSII vero philoſophicis ſtudiis non tam benigne judicari poteſt, ac de ejus eloquentia. In hac enim primo longe ſuperior Cicerone fuit, dein aequalis, tandem poſt hunc certe ſecundus; in illa vero minime ad hujus perfectionem accedebat, neque etiam

(1) *de Inſt. Orat. L.* II. *c.* 1. *p.* 129.

(2) Loquitur de carminibus HORTENSII, PLINIUS *Epiſt. L.* V. *E.* 3. GELLIUS *N. A. L.* XIX. *c.* 9. *invenuſta* ea fuiſſe dicit. Meminit & horum poematum VARRO, *de Analogia L.* I. & refert in iis HORTENSIUM primum dixiſſe *cervicem*, quod alii *cervices* dicunt. *Cf.* QUINCTILIANUS *de Inſt. Or. L.* VIII. *c.* 3. *p.* 692. *ibique Regius & Burmannus.*

(3) *Triſt. L.* II. *vſ.* 441.

etiam videtur in ſapientiae ſtudio tamdiu lucubraſſe, omnemque laborem conſumſiſſe, quam ille Romanae philoſophiae pater. Quod vel ex eo intelligitur, quod Cicero in libris de philoſophia, ei accuſatoris & *philoſophiae vituperatoris* perſonam dederit.

In tribus enim illis annis quibus Caeſar Rempublicam tenuit, Cicero ſe referens, veluti in portum ad literarum & philoſophiae ſtudia, & optimarum artium vias ſuis tradere civibus conſtituens, eos cohortatus eſt ad philoſophiae ſtudium eo libro, qui inſcriptus eſt HORTENSIUS: (4) „ quamquam *in-*„ *quit*, philoſophiae (5) quidem vituperatoribus, „ ſatis reſponſum eſt eo libro, quo a nobis philoſo-„ phia defenſa & collaudata eſt, *cum eſſet accuſata* „ *ac vituperata ab* HORTENSIO."

Scripſit autem hunc librum Cicero imitatione Graecorum, qui totam philoſophiam conſcripturi, praemittere ſolebant Protrepticon, ſeu adhortationem ad philoſophiam. Hunc librum quidem Cicero, in honorem amici ſui defuncti, HORTENSIUM, ab ejus nomine inſcripſit. Poſtea etiam quatuor Academicis libris oſtendens (6), „ quod genus philoſophandi minime „ arrogans, maximeque & conſtans & elegans arbi-„ tra-

(4) CICERO *de Divin. L.* II. *c.* 1. citatur hic liber ab *Auctore Dialogi de cauſſis corruptae eloquentiae c.* 16. & ſaepiſſime a NONIO MARCELLO, *de Proprietate Sermonum.*

(5) CICERO *de Finib. Bon. & Mal. L* I. *c.* 1. *Cf. Acad. Quaeſt. L.* IV. *c.* 2. *Tuſc. Quaeſt. L.* II. *c.* 2. *L.* III. *c.* 3. *Hortenſii* Ciceroniani lectione ad ſapientiae ſtudium ſe accenſum ſcribit AUGUSTINUS *Prooem. de Vita Beata, & L.* I. *c.* 10. *de Ordine.* Vid. FABRICIUS *Bibl. Lat. T.* I. *c.* 8. *p.* 208. *Ed. Erneſti.*

(6) CICERO *de Divin. L.* II. *c.* 1.

„ traretur," in iis iterum loquentem HORTENSIUM induxit (1); ita tamen ut perſpicuum ſit, hunc minime omnis philoſophiae expertem fuiſſe. Sed plus dabat eloquentiae, ex philoſophia autem aſſumſit tantum, quantum oratori eſſet ſatis; uni Ciceroni gloriam relinquens, eas artes & ſcientias tam arcto vinculo conjungendi, & tam eleganter tenendi, ut tandem in utraque principatum apud Romanos tenuerit.

§. VI.

Quod vero attinet ad HORTENSII eloquentiam; „ Attulerat ille, *teſte Cicerone*, (2) minime vulgare „ genus dicendi: duas quidem res, quas nemo alius: „ *partitiones*, quibus de rebus dicturus eſſet, & *col-* „ *lectiones;* memor & quae eſſent dicta contra, quae- „ que ipſe dixiſſet."

Genus autem dicendi ei Aſiaticum fuit, quod cum etiam ſenior ſervaſſet, neque idem ſenem decere putaretur, quod in juvene decorum aut ſaltem excuſandum viſum fuerat, in eo reprehendi coepit; ut mox videbimus.

Acumen HORTENSII in partiendo laudat etiam QUINCTILIANUS (3); „ *ejus tamen*, inquiens, „ *diviſionem, in digitos diductam, nonnumquam Ci-* „ *cero leviter eludit.*" ad quem locum forte minus re-

(1) Cf. CICERO *Epiſt. ad Att. L.* XIII. *Ep.* 16. 19. *Cf. Acad. Quaeſt. L.* IV. *c.* 2. 3. 9. 19. 48. habitus etiam eſt dialogus in HORTENSII villa, quae erat *ad Baulos.*

(2) *Brut. c.* 88.

(3) *de Inſt. Orat. L.* IV. *c.* 5. *p.* 366

recte referunt Turnebus & Corradus (4) exempla e Ciceronis *Divinatione in Q. Caecilium. c.* 13. & *ex Or. pro Quintio c.* 10. ubi hanc HORTENSII consuetudinem maximis laudibus effert, eamque serio admiratur: „ Faciam, *inquit*, (5) quod te saepe animad„ verti facere, HORTENSI: totam causae meae di„ ctionem certas in partes dividam. Tu id semper fa„ cis, quia semper potes; ego in hac causa faciam, „ propterea quod in hac videor posse facere. Quod „ tibi natura dat, ut semper possis, id mihi causa „ concedit, ut hodie possim."

Non melius, ut mihi quidem videtur, intellexit Corradus id quod dixit CICERO, *attulerat — duas quidem res, quas nemo alius*, caet. „ Nam, *inquit* CORRADUS (6), Antonius *Libro Secundo de Ora„ tore* dixit, Rhetores jubere post narrationem caus„ sam dividere: quod si Rhetores jam tum jubebant „ dividere, *non videtur* HORTENSIUS *hoc ipsum* „ *primus attulisse:* nisi forte melius attulit."

Equidem alio sensu Ciceronis verba intelligerem, neque tam generaliter, sed magis restricte ad causarum patronos, sive oratores; ut significetur, HORTENSIUM primum fuisse qui his partitionibus feliciter usus sit in foro: licet enim alii oratores eas bene novissent, non tamen in causis agendis illas tam recte adhibuisse videntur.

§. VII.

(4) *in Comm. ad Brut. p.* 428.

(5) *Or. pro Quintio. c.* 10. NONIUS MARCELLUS *Cap.* 4. *V pressum:* „ Marcus Tullius HORTENSIO: Quis te autem est, aut „ fuit umquam in partiundis rebus, in definiendis, in explanandis „ pressior."

(6) *in Com. ad. l. l. p.* 428.

§. VII.

His vero finibus omnia HORTENSII in eloquentia merita minime abſolvuntur. *Pronunciatio* enim ſive *actio*, quam Demoſthenes, teſte QUINCTILIANO, (1) in toto dicendi opere primam habuit, itidemque ſecundam & tertiam, adeo ut eam videri poſſet non praecipuam ſed ſolam judicaſſe; illa igitur *pronunciatio* in HORTENSIO fuit perfecta, ut neſcires, (2) „ utrum cupidius ad audiendum eum, an ad ſpectandum con„ curreretur: ſic verbis oratoriis aſpectus, & rurſus „ aſpectui verba ſerviebant. Itaque conſtat, Aeſopum „ & Roſcium, ludicrae artis peritiſſimos viros, illo caus„ ſas agente, in corona frequenter adſtitiſſe; ut foro „ petitos geſtus, in ſcenam referrent. "

Aliquando tamen motus & geſtus ejus plus artis habuiſſe dicuntur, quam Oratorem decebat. Pertinet huc impudens L. Torquati dictum, quod GELLIUS (3) refert his verbis: „ quum L. Torquatus, ſubagreſti „ homo ingenio & infeſtivo, gravius acerbiusque apud „ conſilium judicum, quum de cauſa Sullae quaerere„ tur, *non jam hiſtrionem eum eſſe diceret, ſed ge„ ſticulariam Dionyſiamque* eum notiſſimae ſaltatricu„ lae nomine appellaret: tum voce molli atque demiſſa „ HORTENSIUS, *Dionyſia* (4), inquit, *Dionyſia* „ *malo equidem eſſe, quam quod tu, Torquate,* „ ἄμου-

(1) *de Inſt. Or. L.* XI. *c.* 3. *p.* 997.
(2) VALERIUS MAXIMUS. *L.* VIII. *c.* 10. *e.* 2.
(3) *Noct. Att. L.* I. *c.* 5.
(4) De Dionyſia, cf. CICERO *Or. pro Roſcio Comoedo c.* 8. ibique ERNESTI.

„ ἄμουσος, ἀναφρόδιτος, ἀπροσδιόνυσος." Quin & in *Verrinis* (5) plura ſunt loca ubi CICERO hos nimios geſtus & motus perſtringit.

Cum autem, mediocris licet oratio, viribus actionis commendata, plus momenti in foro habitura ſit, quam optima, eadem actione deſtituta, (6) & in HORTENSIO illa actio omnibus numeris abſoluta fuerit; hinc nobis explicare licet verba Ciceronis, *eum melius dixiſſe quam ſcripſiſſe* teſtantis: (7) ſignificat nempe, uti etiam ex iis quae in l. c. praecedunt, intelligere licet, HORTENSII ſcriptas Orationes legentibus non adeo vehementer placuiſſe: deſtitutae quippe illo faſcino & vocis & actionis, languidiores apparebant.

Et HORTENSII quidem laudem praecipuam in actione ſitam fuiſſe, exiſtimavit QUINCTILIANUS l. l. ejus rei fidem inde repetens, quod ejus ſcripta tantum intra famam fuerint: „qui diu, *inquit*, prin„ceps oratorum, aliquando aemulus Ciceronis exiſti„matus eſt, noviſſime, quoad vixit ſecundus: ut „appareat, placuiſſe aliquid eo dicente, quod legen„tes non invenimus. Et hercle, cum valeant mul„tum verba per ſe, & vox propriam vim adjiciat re„bus, & geſtus motusque ſignificet aliquid, profecto „perfectum quiddam fieri, cum omnia coierint, ne„ceſſe eſt."

Hoc vero de quibusdam HORTENSII Orationibus tantum intelligi debet; aliud enim plane teſtimonium, ipſe M. Tullius dedit: cum enim *Brutus* dixiſſet „HOR-

„TEN-

(5) *Divin. c.* 14. *Verr. Act.* II. *L.* 3. *c.* 19.
(6) Cf. QUINCTILIANUS *Inſt. Or. L.* XI. *c.* 3. *p.* 997.
(7) CICERO *Orat. c.* 38.

„ TENSIUM magnum oratorem ſemper putavi, maxime-
„ que probavi pro Meſſala dicentem, cum tu abfuiſti.
„ *Sic ferunt*, reſpondet Cicero, *idque declarat toti-*
„ *dem, quot dixit, ut ajunt, ſcripta verbis ora-*
„ *tio.*" (1) Quod ſi verum ſit, non juſto loco ejus ſcripta aeſtimare videtur QUINCTILIANUS, neque ei in Ciceronis verbis praeſidium ullum quaeri poteſt; *diccbat melius quam ſcribebat*, inquit. (2) Cum autem diceret poſt hominum memoriam ante Ciceronem perfectiſſime, potuit quidem remiſſiori ſtilo, nequaquam vero vel inconcinne, vel male, ſcripſiſſe. Quin longe magnificentius Ciceronem de HORTENSII ſcriptis ſenſiſſe, manifeſtum eſt ex ſequenti loco e *Bruto*, qui omnes HORTENSII ingenii laudes complexus, hic omnino negligi non oportet: HOR-
„ TENSIUS igitur, *inquit Cicero*, cum admo-
„ dum adoleſcens orſus eſſet in foro dicere, celeri-
„ ter ad majores cauſas adhiberi coeptus eſt; quam-
„ quam inciderat in Cottae & Sulpicii aetatem, qui
„ annis decem majores, excellente tum Craſſo & An-
„ tonio, deinde Philippo, poſt Julio, cum iis ipſis
„ dicendi gloria comparabatur. Primum memoria tan-

„ ta,

(1) CICERO *Brut. cap.* 96. Adde *Brut. cap.* 94. „ Annis HOR-
„ TENSIUS ante decem cauſas agere coepit, quam tu, *Brute*, es
„ natus. Idem quarto & ſexageſimo anno, perpaucis ante mortem
„ diebus, una tecum ſocerum tuum defendit Appium. Dicendi au-
„ tem genus quod fuerit in utroque, Orationes utriusque *etiam*
„ *poſteris noſtris* indicabunt."

(2) Quod melius dixerit quam ſcripſerit, commune habuit cum *Servio Galba*. Leg. CORRADUS *Quaeſtura p.* 2. *ed. Erneſti*, ubi idem hoc de *Egnatio* refert; de quo conferri merentur BAYLIUS *in Dict. Crit. T.* II. *in V.* & SAXII *Onom. Liter. T.* III. *p.* 62.

„ ta, quantam in ullo cognoviſſe me arbitror, ut,
„ quae ſecum commentatus eſſet, ea ſine ſcripto verbis
„ eisdem redderet, quibus cogitaviſſet. Hoc adju-
„ mento ille tanto ſic utebatur, ut ſua, & commenta-
„ ta, & ſcripta, & nullo referente, omnia adverſario-
„ rum dicta meminiſſet. Ardebat autem cupiditate
„ ſic, ut in nullo umquam flagrantius ſtudium viderim;
„ nullum enim patiebatur eſſe diem, quin aut in foro
„ diceret, aut meditaretur extra forum: ſaepiſſime autem
„ eodem die utrumque faciebat. Attuleratque minime
„ vulgare genus dicendi: duas quidem res, quas nemo
„ alius: partitiones, quibus de rebus dicturus eſſet,
„ & collectiones; memor & quae eſſent dicta contra,
„ quaeque ipſe dixiſſet. Erat in verborum ſplendore
„ elegans, compoſitione aptus, facultate copioſus:
„ eaque erat cum ſummo ingenio, tum exercitationi-
„ bus maximis conſecutus: rem complectebatur memo-
„ riter, dividebat acute, nec praetermittebat fere
„ quidquam, quod eſſet in cauſa, aut ad confirman-
„ dum, aut ad refellendum: vox canora, & ſuavis:
„ motus & geſtus etiam plus artis habebat, quam erat
„ Oratori ſatis." (3)

§. VIII.

Tandem, ſi rationes quaeramus, cur adoleſcens magis floruerit dicendo quam ſenior HORTENSIUS, has ex ipſis Ciceronis verbis duas potiſſimum fuiſſe deprehendimus; „ Primum, *inquit*, (4) quod genus

„ erat

(3) CICERO *in Brutio c.* 88.
(4) *Brut. c.* 95.

„ erat orationis Aſiaticum, adoleſcentiae magis con-
„ ceſſum, quam ſenectuti. Genera autem Aſiaticae
„ dictionis duo ſunt: unum ſententioſum & argu-
„ tum, ſententiis non tam gravibus & ſeveris, quam
„ concinnis & venuſtis; — aliud autem genus eſt non
„ tam ſententiis frequentatum, quam verbis volucre
„ atque incitatum. — Haec autem — genera dicendi
„ aptiora ſunt adoleſcentibus: in ſenibus gravitatem
„ non habent. Itaque HORTENSIUS utroque ge-
„ nere florens, clamores faciebat adoleſcens. Habe-
„ bat enim & Meneclium illud ſtudium crebrarum ve-
„ nuſtarumque ſententiarum: in quibus, ut in illo
„ Graeco, ſic in hoc, erant quaedam magis venuſtae
„ dulcesque ſententiae, quam aut neceſſariae aut in-
„ terdum utiles. Et erat oratio cum incitata & vi-
„ brans, tum etiam accurata & polita. Non proba-
„ bantur haec ſenibus. Saepe videbam cum irriden-
„ tem, tum etiam iraſcentem & ſtomachantem Philip-
„ pum. Sed mirabantur adoleſcentes, multitudo move-
„ batur. Erat excellens judicio vulgi, & facile pri-
„ mas tenebat adoleſcens. Etſi enim genus illud di-
„ cendi auctoritatis habebat parum, tamen aptum eſſe
„ aetati videbatur: & certe, quod & ingenii quaedam
„ forma lucebat, & exercitatione perfecta erat, ver-
„ borumque adſtricta comprehenſio, ſummam homi-
„ num admirationem excitabat. Sed, cum jam hono-
„ res, & illa ſenior auctoritas gravius quiddam requi-
„ reret, remanebat idem, nec decebat idem: quodque
„ exercitationem ſtudiumque dimiſerat, quod in eo
„ fuerat acerrimum, concinnitas illa crebritasque ſen-
„ tentiarum priſtina manebat, ſed ea veſtitu illo ora-
„ tionis, quo conſueverat, ornata non erat: hoc tibi
„ ille, Brute, minus fortaſſe placuit, quam placuis-
„ ſet

„ ſet, ſi illum flagrantem ſtudio, & florentem facultate,
„ audire potuiſſes."

Continet autem hic locus, quem ut aptiſſimum totum deſcripſi, ipſius CICERONIS ſententiam; quod in judicio de HORTENSII eloquentia & gloria forenſi bene tenendum. Tribuit quidem Cicero, in his Oratoriis libris, HORTENSIO, aliisque cauſſarum patronis, debitam laudem, illumque praeterea prae aliis excelluiſſe ſignificat, quae tum etiam omnium Romanorum una conſentiens vox erat: verumtamen in his exquiſitis laudibus & judiciis mihi aliquid ineſſe videtur, quod declarat, CICERONEM in eloquentia HORTENSIUM aemulum habuiſſe non vulgarem, ſed talem, in quo ſuperando omnes vires intendere neceſſe habuiſſet.

CAPUT SECUNDUM.

DE CAUSSIS QUAS EGIT Q. HORTENSIUS.

§. I.

Cauſſas, in quibus Orator noſter ſive actoris ſive rei partes ſuſceperit, enarraturis, in illis ſolis induſtria noſtra verſari poſſe nobis videtur, quarum apud vete-

res mentionem aliquam factam esse reperimus. Res enim ipsa clamat, illas perpaucas censendas esse ex immenso numero earum quibus curam suam addixerit vir diligentissimus; qui per totam vitam urbanae sese togae militiaeque dederat; nec magis infitias iverimus, nonnullas forte nostram quoque diligentiam fugisse.

Caussarum ab HORTENSIO actarum sanequam ingentem numerum fuisse, nemini dubium erit, qui cogitaverit, eum primum in foro dixisse undeviginti annos natum, „ cum ejus admodum adolescentis ingenium, ut „ Phidiae signum, simul adspiceretur & probaretur," idque a Consulibus Crasso & Scaevola, *qui omnes intelligentia anteibant*: (1) deinde, eum in patronorum numero fuisse annos quatuor & quadraginta.

Huc accedit quod Cicero testatur (2), „ in nullo „ umquam flagrantius studium fuisse, quippe qui nul„ lum pateretur esse diem, quin aut in foro diceret, „ aut meditaretur extra forum: saepissime autem, eo„ dem die utrumque faceret." Remisit quidem summum illud studium, quo ab adolescentia fuerat incensus, cum (3) „ post consulatum videret ex consu„ laribus neminem esse secum comparandum, negligeret autem eos, qui consules non fuissent." Non tamen plane illud omisit: nam deinde ad industriam revocatus est HORTENSIUS, & cum Cicerone, duodecim post hujus consulatum annos, in maximis caussis conjunctissime versatus est, *cum hic sibi illum, ille sibi hunc anteferret*. (4)

Rei

(1) CICERO *Brut. c.* 64.
(2) *Brut. c.* 88.
(3) *Brut. c.* 93.
(4) *Brut. c.* 94.

Rei enim tum temporis plus uno utebantur cauſſae patrono; (5) ſaepe quidem *quatuor*, aliquando etiam *ſex*, uti M. Scaurus, aliique. Poſt bella civilia vero ante legem Juliam, ad duodenos patronos perventum eſt. (6) Hi ſinguli reum defendebant, alii aliam partem accuſationis refellentes: & cauſſam, ut videtur, inter ſe partiebantur ita, ut quisque ſumeret eam totius orationis partem, quae maxime eſſet accommodata, vel ſuo ingenio, vel ſuis ſtudiis, vel dignitati quam in Republica tuebatur.

Hac ratione, cum in perorando, ubi plurimum pollet oratio, maximae Ciceronis vires eſſent, omnes oratores hunc locum ipſi relinquebant, ne HORTENSIO quidem excepto; *qui*, ut Brutus ait, (7) *cum partiretur cauſas cum Cicerone, ſemper huic perorandi locum reliquit.* Exempla habemus in cauſſis P. Sextii (8), L. Valerii Flacci (9), P. Sullae, aliorumque.

Quandoquidem vero de quibusdam cauſſis jam egimus *Sectione Priore*, in hoc Capite eas quae ſuperſunt breviter perluſtrabimus.

§. II.

Prima cauſſa, quam egit HORTENSIUS, fuit illa *Afri-*

(5) Legatur FERRATIUS *Epiſtolarum L.* I. *Epiſt.* 6. *de Patronis & Accuſatoribus.*

(6) Cf. ASCONIUS PEDIANUS *ad* CICERONIS *Or. pro Scauro.*

(7) CICERO *Brut. c.* 51. *Cf. Orat. c.* 37.

(8) CICERO *Or. pro Sextio c.* 2.

(9) Cf. *Or. pro Flacco c.* 17.

Africae, quam in Senatu A. U. 658. defendit: (1) haec, ut videtur, erat publica; qua de re autem in illa actum sit, non constat.

Paullo post dixit *pro Rege Bithyniae*, teste Crasso apud CICERONEM, *de Oratore L.* III. *c.* 61. Scilicet circa A. U. 662, quo dialogus *de Oratore* fingitur habitus, „ cum consul Philippus vehementius invehere-„ tur in causam principum, & Drusi Tribunatus, pro „ Senatus auctoritate susceptus, infringi jam, debilita-„ rique videretur." (2)

Cn. Pompejum deinde clientem habuit. Hic enim juvenis reus factus erat, non diu post mortem patris Cn. Strabonis, apud P. Antistium Labeonem, A. U. 667. quod nempe in victoria Asculana libros & plagas venatorias munere patris accepisset: quo vero exitu haec causa gesta sit, fusius narrant e veteribus PIGHIUS *Ann. ad h. Ann. T.* III. *p.* 239. & FREINSHEMIUS *in Supp. Livian. L.* 82. *c.* 24.

Dixit tum HORTENSIUS cum L. Philippo (3), pro bonis hujus Cn. Pompeji, *& in illa causa adolescens cum esset, princeps fuit.* (4)

Est

(1) CICERO *de Or. L.* III. *c.* 61.

(2) CICERO *de Or. L.* I. *c.* 7. *Cf.* FABRICIUS MARCOD. *in Vita Ciceronis ad Ann.* 662. Habitus quidem est dialogus, *ludorum Romanorum* diebus, qui sunt a pridie Non. usque ad Idus Sept. Cf. *de Or. L.* II. *c.* 3. & FABRICIUS *l. l.*

(3) *Cf.* PLUTARCHUS *in Vita Pompeji T.* I. *p.* 619. *E.*

(4) CICERO *Brut. c.* 64. *Cf.* SENECA *Contr. L.* III. *Cont.* 17. In hac causa Pompejo etiam adfuit Cn. Carbo, ille qui ter Consul fuit. Hunc Pompejus, Sullanae factionis sectator, in Sicilia captum, interfici jussit, non sine gravi reprehensione; „ quia tam ingrato facto „ plus L. Sullae viribus, quan propriae indulsit verecundiae." VALE-

Eſt hic L. Philippus, qui ab HORATIO (5) dicitur,

Strenuus & fortis, cauſisque Philippus agendis
Clarus: — — —

§. III.

In privata cauſſa *P. Quintii* cum Cicerone primum in certamen venit HORTENSIUS, Sex. Naevii partes agens in accuſando perſequendoque P. Quintio.

Hic autem primo M. Junii, deinde Ciceronis auxilium petiit, eoque uſus eſt, uti videmus ex Oratione quae hodieque ſupereſt; ex qua diſcimus cauſſam litis, & quas pro P. Quintio rationes Cicero attulerit. De ipſa cauſſa non eſt quod multis dicamus, (6) neque de argumentis quae HORTENSIUS forte habuit, ut ſuae ſententiae juſtitiam tueretur. Sufficiet ex hac oratione luculenter HORTENSII celebritatem, & in judiciis auctoritatem probaſſe.

Acta haec cauſſa eſt A. U. 672. M. Tullio Decula & Cn. Cornelio Dolabella Coſſ. (7) quum HORTENSII vox plurimorum annorum uſu jam in foro confirmata eſſet, & Cicero quidem probatus eſſet, nondum tamen cogitaret cum eo de judiciorum principatu

LERIUS MAXIMUS *L.* V. *c.* 3. *e.* 5. *Cf. L.* VI. *c.* 2. *e.* 8.
PLUTARCHUS *in Vita Pompeji T.* I. *p.* 623. *D.*

(5) *Epiſt. L.* I. *Ep.* 7. *vſ.* 46.

(6) Leg. P. MANUTII & HOTTOMANNI *Argumen. h. Orationis.*

(7) *Cf.* PIGHIUS *Ann T.* III. *p.* 259.

tu certare. Inde perpetuus ille modeſtiae color, qui praeſertim huic Ciceronis orationi ineſt, & quo tam egregie HORTENSII laudes & praeſtantiam in eloquentia effert.

Fatetur enim Cicero, *in initio Orationis*, duas res quae in civitate plurimum poſſunt, hoc tempore contra ſe clientemque ſuum facere, *ſummam gratiam*, & *eloquentiam*. „ Eloquentia *dicit*, Q. HORTEN„ SII ne me in dicendo impediat, nonnihil com„ moveor:" gratiam timebat a Sexto Naevio. „ Ne„ que hoc, *inquit*, (1) tantopere querendum vide„ retur, haec ſumma in illis eſſe, ſi in nobis eſſent „ ſaltem mediocria; verum ita ſe res habet, ut ego, „ qui neque uſu ſatis, & ingenio parum poſſum, *cum* „ *patrono diſertiſſimo comparer*." Queritur praeterea, iniquitate Praetoris accidiſſe, ut ipſe, Quintii defenſor, priore loco dicere deberet; HORTENSIUS vero, *cui ſummam copiam facultatemque dicendi natura largita erat*, (2) quique accuſatoris partes obtinuerat, poſt ſe dicturus eſſet.

Defenſus jam antea fuerat Quintius, apud C. Aquillium Gallum, qui judex in ea cauſſa ſedebat cum tribus Jurisconſultis, (3) a M. Junio. Hic & in aliis caus-

(1) *Or. pro P. Quintio. c.* 1.

(2) *Or. pro P. Quintio. c.* 2. „ quod, *inquit*, eorum gratia & po„ tentia factum eſt, qui, *quaſi ſua res aut honos agatur*, ita diligenter „ Sexti. [Naevii ſtudio & cupiditati morem gerunt: & in ejusmodi „ rebus opes ſuas experiuntur, in quibus, quo plus *propter virtu„ tem nobilitatemque poſſunt*, eo minus, quantum poſſint, debent „ oſtendere."

(3) *Cf. c.* 17. Legatur de C. *Aquillio Gallo*, Oratio JO. GOTTL. HEINECCII, *in Opuſc. Var. Syll. Exerc.* XXII. *p.* 766. *ſqq.* Cf. BACHIUS *Hiſt. Jur. L.* II. *c.* 2. *S.* 4. §. 40.

cauſſis exercitatus, & in hac multum & ſaepe verſatus, (4) hoc tempore aberat: ejus igitur abſentis vices nunc Cicero ſupplebat.

Naevius praeter HORTENSIUM plures alios habebat defenſores, homines diſertiſſimos, fortisſimos, ornatiſſimosque civitatis, (5) & inter eos L. Philippum; qui tamen *advocatus*, (6) non vero *patronus* Naevii fuiſſe videtur. Horum virorum praeſentia & auctoritas Ciceronem diffidentiorem reddiderant in Quintii cauſſa ſuſcipienda, cum hoc ab eo Q. Roſcius peteret. „ Diffidebam mehercule, *inquit*, (7) C. „ Aquilli, ſatis animo certo & confirmato me poſſe in „ hac cauſa conſiſtere. Sic cogitabam; cum contra „ dicturus eſſet HORTENSIUS, & cum eſſet attente „ auditurus Philippus, fore, ut permultis in rebus „ timore prolaberer. Dicebam huic Q. Roſcio, — „ mihi perdifficile *eſſe contra tales Oratores non modo*

„ *tan-*

(4) *Cf. Or. pro P. Quintio c.* 1.

(5) *Cf. Or. pro Quintio c.* 2. *&* 22. „ pro me pugnabit L. Philippus, eloquentia, gravitate, honore florentiſſimus civitatis: *dicet* HORTENSIUS, *excellens ingenio, nobilitate, exiſtimatione:* aderunt autem homines nobiliſſimi ac potentiſſimi, quorum frequentiam — non modo P. Quintius, — ſed quivis — perhorreſçat."

(6) *Advocatus*, dicitur amicus quem vocamus ad nos, ut eum conſulamus de controverſiis noſtris, quique honoris cauſſa in judicio in ſubſelliis noſtris ſedet, aut nobiscum in rem praeſentem venit. Leg. ERNESTI *Cl. Cicer. in V.* & ad *advocare* & *advocationem*. Ad exempla quae citat addantur haec, CICERO *de Or. L.* II. *c.* 70. *&* 74. *Bruti c.* 84. *Verr. Act.* II. *L.* 2. *c.* 30. *Or pro Sulla c.* 29. *pro Coelio c.* 4. *Epiſt ad Att. L.* I. *Ep.* 16. ibique CORRADUS Advocatorum eodem hoc ſenſu mentio fit apud LIVIUM *L.* II. *c.* 55. L. III. *c.* 44. *&* 46. *ſeqq.* PLINIUM *Epiſt. L.* V. *Ep. ult.* Cf. MACROBIUS *Saturn. L.* II. *c.* 4. Legantur FERRATIUS *Epiſt. L.* I. *Ep.* 3. *p.* 12—15. & FF. POLLETI *Hiſtoria Fori Romani. L.* II. *c.* 1.

(7) *Cf. l. l. c.* 24.

„ *tam cauſam perorare*, (1) *ſed omnino ver-*
„ *bum facere conari*. Cum cupidius inſtaret; ho-
„ mini pro amicitia familiarius dixi, mihi videri
„ ore duriſſimo eſſe, qui praeſente eo geſtum agere
„ conaretur: qui vero cum ipſo contenderent, eos,
„ etiamſi quid antea recti aut venuſti habere viſi ſunt,
„ id amittere: ne quid mihi ejusmodi accideret, *cum*
„ *contra talem artificem dicturus eſſem, me vereri.*"

Plura in HORTENSIUM honorifica legantur *h. Orat. c.* 9. 10. 13. 20 & 26. Cf. de tempore quo hanc Orationem habuit Cicero, GELLIUS *N. A. L.* XV. *c.* 28. Legantur CORRADUS *Quaeſt. pag.* 31. PIGHIUS *A. U.* 672. *T.* III. *p.* 259. & qui plura loca hujus Orationis egregie illuſtrat, FERRATIUS *Epiſt. L.* I. *Ep.* 2. *p.* 4. *ſeqq.* & *L.* IV. *Ep.* 4. *p.* 246. *ſeqq.* in qua Epistola diſſerit, *de Statu Quaeſtionis in cauſa P. Quintii.*

§. IV.

Tres ſequuntur cauſſae publicae, in quibus HORTEN-

(1) Queſtus ſcilicet erat HORTENSIUS, hanc cauſſam jam aliquoties actam fuiſſe, ſed priore patrono Junio defendente, numquam perorari potuiſſe. *Cf. c.* 10. Quod vero M. Junius numquam peroravit, non cum Manutio ad *ampliationem judicum* referendum, uti docet ERNESTI *ad. Or. pro Quintio. c.* 1. ſed ad *tertium* cauſſam differendi judicii, quam *Comperendinationi* & *Ampliationi* addidit FERRATIUS, *Epiſt. L.* I. *Ep.* 2. *p.* 7. „ſi nempe Oratorum alteru-
„ ter non peroraret, neque defenſionem Rei maxime patronus con-
„ cluderet." Huc refert FERRATIUS verbum DIXI, quo Cicero *Actioni Primae in Verrem* finem impoſuit, & verba ASCONII PEDIANI ad hanc vocem.

TENSIUS nobiliſſimos reos, viros in Republica celebres defendit contra accuſationes clariſſimorum juvenum. Adjuvabatur in his cauſſis ab aliis ſummis Oratoribus, & plerumque feliciſſimo cum eventu ſuos clientes ſalutis diſcrimine expedivit.

Meminit harum accuſationum ASCONIUS PEDIANUS, ad locum CICERONIS *in Divinatione in Q. Caecilium*, *c.* 7. ubi Cicero exponit, quare HORTENSIUS peteret, ut Q. Caecilius in Verris accuſatione ipſi anteponeretur, his verbis: „ atque is (*Hortenſius*) „ non tam propter Verrem laborat, quam quod eum „ minime res tota delectat. Videt enim, *ſi a pueris* „ *nobilibus*, *quos adhuc eluſit*; ſi a *quadruplatoribus*, (2) quos non ſine cauſa contemſit ſemper, ac „ pro nihilo putavit, accuſandi voluntas ad viros fortes, ſpectatosque homines tranſlata ſit, *ſe in judiciis* „ *dominari non poſſe.*" (3) Ubi *Aſconius*, per *pueros nobiles* quos adhuc eluſerat HORTENSIUS, Ciceronem notaſſe dicit, *Appium Claudium*, qui Terentium

(2) *Quadruplatores* erant delatores criminum publicorum, in qua re quartam partem de proſcriptorum bonis, quos detulerant, aſſequebantur, ASCONIUS PEDIANUS *ad h. l.* alii aliter. Cf. ERNESTI *in Cl. Cicer.* FACCIOLATUS *in Lexic. in Voce.* & JOH. MATT. GESNERUS *in Lex. in V.* memorantur etiam a LIVIO *L.* III. *c* 72. & a SENECA *de Benef. L.* VII. *c.* 25. Improbos eos fuiſſe cives, probatur ex verbis *Auctoris ad Herennium L.* II. *c.* 26. Leg. ASCONIUS *ad Verr. Act.* II. *L.* 1. *c.* 8. *L.* 2. *c.* 8. FRAN. POLLETUS *Hiſt. Fori. Romani L.* IV. *c.* 2. LIPSIUS *ad* TACITI *Ann. L.* IV. *c.* 20. & BEAUFORT *République Romaine T.* II. *L.* V. *chap.* 5. *p.* 102.

(3) *Cf. Verr. Act.* I. *c.* 12. *Act.* II. *L.* 1. *c.* 22.

tium Varronem; *Caesarem*, qui Dolabellam; & *Scaurum*, qui alterum Dolabellam, accusaverant.

Caeterum hic ASCONII locus, (*ad Div. c.* 7.) nec non alter *ad Verr. Act.* II. *L.* I. *c.* 15. insigni premuntur difficultate: aut enim ipse confundit duos Dolabellas, diverso tempore a diversis accusatoribus in judicium deductos, aut corrupta sunt verba & accusatorum nomina permutanda, uti docet PIGHIUS *Ann. ad A. U.* 675. *T.* III. *p.* 281. ubi *ad Divinationis cap.* 7. pro *significat &* CAESAREM, corrigit SCAURUM; & postea, pro *significare potest sane etiam* SCAURUM, reponit CAESAREM: & *ad Verr. Act.* II. *L.* I. *c.* 15. pro: *inimicos autem accusatoresque Dolabellae* CAESAREM *dicit, nam* SCAURUS *Dolabellam alium accusavit, nec damnare potuit;* restituit, *inimicos* — SCAURUM *dicit, nam* CAESAR *Dolabellam alium* — *potuit:* recte quidem uti videtur. Jam breviter de tribus his causis videamus.

§. V.

Prima harum defensionum est illa *Cn. Cornelii Dolabellae*, quem e Cilicia provincia reducem, *repetundarum* accusavit M. Aemilius Scaurus. (1) Hic enim Dolabella, ut videtur, cum suo legato C. Verre, crudeliter & avare Achaiam, Asiam, Pamphyliam, omnes denique, quas attigerat, provincias vexaverat spoliaveratque; quod canit JUVENALIS (2)

In-

(1) *Cf.* CICERO *Verr. Act.* II. *L.* I. *c.* 38.
(2) *Sat.* VIII. *Vs.* 105.

Inde DOLABELLA *eſt, atque hinc Antonius, inde*
Sacrilegus Verres; referebant navibus altis
Occulta ſpolia, & plures de pace triumphos.

A. U. 675, Romam redux, cum a M. Scauro accuſaretur, & ab ipſo etiam Verre oppugnaretur, HORTENSII opem & facundiam imploravit. Hic quidem in illo periculo etiam Dolabellae affuit, verum non optimo ſucceſſu: M. Scaurus enim hunc non tantum accuſavit, ſed & damnavit. (3) *Dolabella*, inquit ASCONIUS PEDIANUS *ad Div. c.* 7., *damnatus quidem eſt, non vero quantum oportuit, per* HORTENSII *gratiam*: qui ſi reum non potuit abſolvere, tamen condemnationem forte leniorem reddidit. Nihil igitur eſt quare P. MANUTIUS dubitet, M. Scaurum recte ab ASCONIO *l. l. & in Comm. ad Act.* II. *Lib.* I. *c.* 15. intelligi: etſi enim victor ex judicio diſceſſerit, potuit quidem omnino in aliqua accuſationis parte ab HORTENSIO eluſus fuiſſe.

§. VI.

Alter *Cn. Cornelius Dolabella*, vir Conſularis & Triumphalis, (4) accuſatus eſt etiam *repetundarum*, ex Macedonia, a C. Julio Caeſare adolescente, A. U. 676. Hic propriae facundiae vim in illa accuſatione ex-

(3) Cf. CICERO *Verr. Act.* II. *L.* I. *c.* 30. ASCONIUS PEDIANUS *ad l. l. & ad frag. Or. pro M. Scauro.*

(4) *Cf.* PIGHIUS *Ann.* 672. *T.* III. *p.* 259. & CICERO *Or. in Piſonem c.* 19.

expreſſerat (1), eamque multis teſtimoniis Graecarum civitatum, a reo ſpoliatarum, inſtruxerat. Dolabella vero in Cotta & in HORTENSIO, ſalutis ſuae tutelas poſuerat.

Acta haec cauſſa eſt poſt Ciceronis Aſiaticam peregrinationem, unde poſt biennium ſe receperat: „ & duo „ tum, *inquit*, (2) excellebant oratores, qui me „ imitandi cupiditate incitarent, Cotta & HORTEN„ SIUS: quorum alter remiſſus, & lenis, & propriis „ verbis comprehendens ſolute & facile ſententiam: „ alter ornatus, acer, & non talis, qualem tu eum, „ Brute, jam defloreſcentem cognoviſti, ſed verborum „ & actionis genere commotior. Itaque cum HOR„ TENSIO mihi magis arbitrabar rem eſſe, quod & „ dicendi ardore eram propior, & aetate conjunctior. „ *Etenim videram in iisdem cauſis, ut pro* M. Ca„ nuleio, pro Cn. Dolabella conſulari, *cum Cottae* „ *princeps adhibitus eſſet, priores tamen agere par„ tes* HORTENSIUM. Acrem enim oratorem, in„ cenſum, & agentem, & canorum, concurſus ho„ minum, forique ſtrepitus deſiderat."

In hoc itaque judicio abſolutus eſt Dolabella (3), uti

(1) VALERIUS MAXIMUS *L.* VIII. *c.* 9. *ex.* 3.

(2) CICERO *Brut. c.* 92. ibique CORRADUS *p.* 441. qui ſatis multus eſt in interpretando hoc loco de *Cn. Dolabella;* etiam vidit, ASCONIUM PEDIANUM ſibi non conſtare, verum ſe pene affirmare audere dicit, eumdem Cn. Dolabellam conſularem & triumphalem, a Caeſare primum accuſatum & abſolutum, deinde a Scauro accuſatum & damnatum eſſe.

(3) Cf. ASCONIUS *l. l.* PLUTARCHUS *in Vita Caeſaris T.* I. *p.* 708. *E.* SUETONIUS *in Vita Caeſaris c.* 4. initio. Leg. PAGHIUS *Ann. T.* III. *p.* 286.

uti VELLEJUS PATERCULUS ait, (4) *majore civitatis favore, quam reis praeſtari ſolet:* ſive illud oratorum eloquentiae, qui pro ſe dixerant, ſive civium favori, ſeu tandem innocentiae ſuae debuerit.

Defenderunt quoque HORTENSIUS & Cotta *M. Canulejum*, etiam *repetundarum* reum, uti PIGHIUS (5) ſuſpicatur.

§. VII.

Tertia denique cauſſa eſt *Terentii Varronis*, quem Appius Claudius, adoleſcens nobilis, A. U. 678. accuſavit apud P. Cornelium Lentulum Suram, eumdem, qui poſtea Catilinariae conjurationis ſocius ex Senatus Conſulto ſtrangulatus eſt. (6) Accuſabatur Varro *de pecuniis repetundis*, ex Aſia; & ab HORTENSIO Aedile, fratre conſobrino (7) defenſus, abſolutus eſt.

In hac tamen cauſſa aliquid admiſit HORTENSIUS, quod, licet forte non inuſitatum fuerit, tamen, ut videtur, ab eo, nimio amore in reum abrepto, inſolentius adhibitum eſt.

Cum enim HORTENSIUS de cauſſa Varronis deſperaret, „ hunc metum, *teſte* ASCONIO PEDIANO *ad Divin. c. 7.* (8), adjunxit ad gratiam, ut „ dis-

(4) *Hiſt. Rom. L.* II. *c.* 43.

(5) *Ann. T.* III. *p.* 207. addit, *ſi quis tamen aliter velit, non pugnabo.* CORRADUS *ad Brut. c.* 92. *p.* 441. dicit, *hiſtoriam quaerendam eſſe.*

(6) *Cf.* SALLUSTIUS *Bel. Catil. c.* 55.

(7) *Cf.* ACRON *Grammaticus ad* HORATII *Sat. L.* II. *S.* I. *vſ.* 49. Leg. PIGHIUS T. III. *p.* 299.

(8) *Cf.* & *Comm. ad Act. in Verr.* I. *c.* 12. *& ad Divinat. c.* 7. ad verba, *a pueris nobilibus.*

„ discoloribus ceris insignitas judices tabellas accipe-
„ rent, ut timeret unusquisque eorum, ne fidem pa-
„ ctionis non servasse videretur, si non in tabula,
„ quam unicuique datam meminisset HORTENSIUS,
„ ex nota cerae, scilicet discoloris, absolutum Varro-
„ nem reperiret."

Attigit hanc rem Cicero in *Divinatione in Q. Caecilium*, referens HORTENSII verba (1) Q. Caecilium accusatorem C. Verri petentis: „ Non enim, in-
„ quit, (*Hortensius scilicet*) illud peto, quod so-
„ leo, cum vehementius contendi, impetrare, reus ut
„ absolvatur, non peto: sed ut ab hoc potius, quam
„ ab illo accusetur, id peto." — *et paullo post:*" Et
„ ait idem, ut aliquis metus adjunctus sit ad gratiam,
„ certos esse in consilio, quibus ostendi tabellas velit:
„ id esse perfacile; non enim singulos ferre sententias,
„ sed universos constituere: *ceratam unicuique tabel-*
„ *lam dari cera legitima, non illa infami ac ne-*
„ *faria.*"

Cum vero constet, (2) judices tabellas absolutionis condemnationisve non accepisse a defensore rei, sed, vel a Praetore judicii, vel extra ordinem a Consule; putat Hottomannus *ad l. Ciceronis l.* HORTENSIUM judicibus corruptis, alias ministrasse tabellas, parum ab iis

(1) *in Divin. in Q. Caecilium c.* 7. ibique ERNESTI, qui hujus difficilis loci sensum exhibet. „Mire, *uti* ASCONIUS PEDIANUS *ad l. l. animadvertit*, ex ipsius HORTENSII persona hoc dicitur, „ quae saepe virtus maxima Ciceronis in hujusmodi allocutionibus „ invenitur."

(2) *ex* CICERONIS *Or. pro Milone* & ASCONIO PEDIANO Cf. FR. POLLETI *Hist. Fori Rom. L.* V. *c.* 8. p. m. 658.

ab iis quas a Praetore acceperant diſſimiles. P. Manutius vero *ad l. l.* dicit, HORTENSIUM exegiſſe a judicibus ceram in tabella diſcolorem, pro ſigno promiſſae voluntatis: quidquid tandem hujus rei ſit, abſolutus eſt Terentius Varro.

Cauſſa tamen hujus victoriae omnibus poſtea cognita fuiſſe videtur, cum tam aperte & publice a Cicerone memoretur. (3) Caeterum, quum iſtiusmodi artes eo tempore ſatis familiares eſſent, & alii etiam oratores aliis uterentur modis ad corrumpendos judices, vel ad protrahenda judicia; ea ratione, nonnihil fortaſſe de culpa HORTENSII eximere licebit, qui hic ſe hominem, neque humani quid a ſe alienum eſſe, comprobavit. Minuit vero praeterea HORTENSII culpam, Varronem & eum inter affinitas; accuſationis denique acerbitati multum, meo quidem judicio, detrahendum praeterea eſt, & propter Ciceronis accuſatoris perſonam, & propter locum & tempus, quo illa in medium ſunt prolata.

§. VIII.

In *C. Verris* patrocinio maxime in certamen venit HORTENSIUS Conſul deſignatus, cum Cicerone Aedile deſignato. (4) Acta igitur haec cauſſa eſt A. U. 683.

Eſt autem haec actio famoſiſſima, cum flagitio ipſius rei, tum praeſertim inſigni eloquentia accuſatoris, per cujus ſcripta, & a temporum injuria feliciter ſerva-

(3) *Cf. Verr. Act.* I. *c.* 6. *Act.* II. *L.* 5. *c.* 68.
(4) Cf. CICERO *Brut. c.* 92.

vatas orationes, factum est, ut prae aliis Romanorum Praetoribus, Proconsulibus, caeterisque Provinciarum rectoribus, omnium scelestissimus nobis nunc C. Verres videatur. Equidem in judicando de justitia causarum a Cicerone actarum, homines saepe incaute, semper vero injuste agere arbitror, honestissimam negligentes regulam, quae jubet, & alteram partem audire: quod cum inopia auctorum nunc quidem fieri nequeat, deberet tamen ea cogitatio nos timidiores reddere & modestiores in sententia ferenda; memores praesertim verborum QUINCTILIANI, (1) verissime dicentis: „ Illud vero utilissimum, nosse eas causas, quarum „ orationes in manus sumserimus: & quoties contin„ get, utrimque habitas legere actiones: ut Demo„ sthenis atque Aeschinis inter se contrarias: — Quin„ etiam, si minus pares videbuntur, aliquae tamen ad „ cognoscendam litium quaestionem recte requirentur: „ ut contra Ciceronis orationes, Tuberonis in Q. „ Ligarium, & HORTENSII *pro Verre*. Quinetiam „ easdem causas ut quisque egerit, utile erit scire. — „ Neque id statim legenti persuasum sit, omnia, quae „ magni auctores dixerint, utique esse perfecta. „ *Nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt, & „ indulgent ingeniorum suorum voluptati:*"

Haec igitur QUINCTILIANI verba summae hoc loco utilitatis sunt. Quodsi enim, ad cognoscendas litium quaestiones, recte requiruntur ab utraque parte habitae orationes, parum omnino constat, quid de C. Verris accusatione & causa dicendum sit, in qua solum Ciceronem auctorem habemus; atque inde demum colligi potest, quod pondus habeant, quamque fidem mereantur illae

(1) *de Inst. Orat. L. X. c. 1. p. 883.*

lae in Verris defenſorem, paſſim jactae criminationes.

Licet enim concedamus, atrocia facta, a Cicerone C. Verri objecta, revera ab hoc fuiſſe perpetrata, longe tamen alia res eſt in iis, quae de defenſore ipſi accuſationi interpoſuit. Non tantum enim moris erat in majus omnia extollere, & accuſatorie augere rei crimina, ſcelera, omnia tandem quae in provincia male geſſiſſet; verum etiam, qui accuſatores vehementius oppugnarent, nihil intactum relinquebant, neque rei patronos, neque parentes, liberos, uxorem, caet. Horum igitur minimi errores, & humanae imbecillitates, ut graviſſima crimina proponebantur, quo magis inde juſtum in reos odium excitaretur.

Totum hoc C. Verris judicium perſcripſit, & ex CICERONIS Orationibus, ut & ex ASCONII PEDIANI *Commentario*, diligenter conſtituit MIDDLETONUS: (2) de eo igitur non multis agam, breviter tantum referam quae ad HORTENSIUM pertineant.

§. IX.

Huc igitur referendum, quod ASCONIUS ad rationes, quae Ciceronem permoviſſe dicuntur, ut Siculorum cauſſam ageret, addit: (3) „ Acceſſit his, non „ ignobilis futura de Verre victoria, quia a Metellis, „ Scipionibus (4), & multis aliis nobilibus viris, & „ *prae-*

(2) *in Vita Ciceronis T.* I. *S.* 2. *p.* 79—108.

(3) *Arg. Divinat. in Q. Caecilium.*

(4) *Cf. Act.* II. *L.* 4. *c.* 36. ibique P. MANUTIUS. His defenſoribus addatur L. SISENNA, uti vidimus *h. Sect. c.* I. §. 3. *p.* 107. De *Metellis* peculiaris eſt Epiſtola FERRATII, *Epiſt. L.* III. *Ep.* 14.

„ *praecipue ab* HORTENSIO *ipso defenderetur; fa-*
„ *cile & principe in Senatu propter nobilitatem, &*
„ *in foro ob eloquentiam rege cauſarum*, & eodem
„ conſule deſignato cum Q. Metello fratre Metellorum,
„ alterius Praetoris Siculi, alterius Praetoris Urbani."

Nec tamen putandum, ob hanc C. Verris defenſionem bonorum amicitiam erga HORTENSIUM refrixiſſe: vivebat enim in ea civitate „ in qua nemini umquam „ infimo, majores patronum deeſſe voluerant: (1) & in „ qua haec a majoribus tradita erat disciplina, ut nul- „ lius amicitia quis ad propulſanda pericula impedire- „ tur." (2)

Rei nempe ſaepiſſime ſuas cauſſas ipſis accuſatoris amicis orandas committebant, qui tum contrarias partes agentes, mutuam amicitiam familiaritatemque ſuis defenſorum officiis poſtponentes, ſeſe invicem aliquando acerbius in his orationibus proſcindebant, aliquando ridebant; cujus quidem rei luculentum exemplum eſt in CICERONIS *Oratione pro L. Murena* (3), qui in judicium deductus a Catone & Servio Sulpicio, defenſus eſt ab horum amicis, Cicerone, HORTENSIO, & Craſſo.

Majorem jam nunc, contra HORTENSIUM dictu- rus, ſui fiduciam habebat Cicero, quam in Quintiana cauſſa, uti vidimus; unde etiam haec adverſario Q. Caecilio objicit. (4) „ Nunc ne illud quidem cogi- „ tas, *tibi cum homine diſertiſſimo* (HORTENSIO) & „ *ad dicendum paratiſſimo, futurum eſſe certamen:* „ qui-

(1) CICERO *Or. pro Murena. c.* 4.
(2) CICERO *Or. pro Sulla. c.* 17.
(3) *Leg.* MIDDLETON. *in Vita Ciceronis T.* I. *S.* 3. *p.* 196. *ſeqq.* *Cf. Cl.* OTTO *l. l. c.* 10. §. 3. *Theſ. Jur.* OTTONIS. *T.* V. *p.* 1621.
(4) *Cf. Divinationis in Q. Caecilium. c.* 13. *&* 14.

„ quicum modo differendum, modo omni ratione
„ pugnandum certandumque sit? *Cujus ego ingenium*
„ *ita laudo, ut non pertimescam, ita probo, ut me*
„ *ab eo delectari facilius, quam decipi putem posse.*
„ Numquam ille me opprimet consilio: numquam ullo
„ artificio pervertet: numquam ingenio me suo labe-
„ factare atque infirmare conabitur: novi omnes homi-
„ nis petitiones rationesque dicendi: saepe in iisdem,
„ saepe in contrariis causis versati sumus. Ita contra
„ me ille dicet, quamvis sit ingeniosus, ut nonnullum
„ etiam de suo ingenio judicium fieri arbitretur. —
„ Vide modo: etiam atque etiam considera; mihi enim
„ videtur periculum fore, ne ille non modo verbis te
„ obruat, sed gestu ipso ac motu corporis perstringat
„ aciem ingenii tui, teque ab institutis tuis cogitationi-
„ busque abducat." Ex quo loco abunde apparet, quale judicium de suo, deque HORTENSII ingenio ferret Cicero, satis omnino honorificum.

§. X.

Caecilio victo, accusatio Ciceroni delata est, qui mox totam provinciam Siciliam peragravit, ut literas in C. Verrem colligeret & testimonia denunciaret. Inde redux, cum reum elapsurum videret patrocinio HORTENSII & Metellorum, si in sequentem annum judicium protraheretur, modum dicendi mutavit, perpetuam orationem in aliud tempus reservavit, (5) & brevi oratione totam causam complexus est.

Tan-

5) Cf. QUINCTILIANUS *Inst. Orat. L.* VI. *c.* 5. *p.* 575.

Tangit Cicero in ea actione Verris avaritiam, (1) ingenia & auctoritatem *defensorum*, (2) & festive narrat, quomodo Verres primo afflictus, dein recreatus fuerit, postquam HORTENSIUM Consulem designatum cognovisset; (3) sperabat enim nihil eo invito fieri, & in hujus potestate moderationeque omnia verti.

Caussa breviter exposita, accusationeque primae Actionis constituta, testes & literas publicas privatasque protulit Cicero; in quibus audiendis & praelegendis plures dies consumti sunt: ita ut haec actio multis diebus celebrata sit: *qua arte*, ut ASCONIUS PEDIANUS (4) dicit, *ita est fatigatus* HORTENSIUS, *ut nihil, contra quod diceret, inveniret.*

Explicant vero hunc locum duo alii ejusdem ASCONII; ubi narrat HORTENSIUM, tacente Cicerone, orationis non habuisse potestatem: „ non ergo, „ *inquit* (5), defendere Verrem non ausus est, sed, „ quia non poterat ut volebat, in totum praetermisit „ HORTENSIUS." Testibus enim ad unumquodque

(1) *Act.* I. *c.* 3.

(2) *Act.* I. *c.* 6. ibique ASCONIUS PEDIANUS.

(3) „ Nam ut HORTENSIUS Consul designatus, domum deduce-
„ batur e campo, cum maxima frequentia ac multitudine: fit
„ obviam casu ei multitudini C. Curio: — videt ad ipsum fornicem
„ Fabianum in turba Verrem; appellat hominem, & ei voce maxi-
„ ma gratulatur victoriam: ipsi HORTENSIO, qui Consul erat
„ factus, — verbum nullum facit: cum hoc constitit, hunc amplexa-
„ tur, hunc jubet sine cura esse. *Renuncio*, inquit, *tibi*, *te hodiernis*
„ *comitiis esse absolutum.*" *Verr. Act.* I. *c.* 7.

(4) *in Argum. Act.* I. *in Verrem.*

(5) *ad Act.* II. *L.* 1. *c.* 11.

que crimen expoſitum productis, (6) „ adeo ſtupe-
„ factus HORTENSIUS dicitur, ut rationem defen-
„ ſionis omitteret: adeo perculſus Verres, ut abiret
„ in exſilium ſua ſponte:" quod etiam CICERO (7) dicit; *nobis pro familiari reo ſummus orator non re-ſpondit* HORTENSIUS.

PLUTARCHUS etiam refert, (8) HORTENSIUM rectam & plenam defenſionem Verris non ſuſtinuiſſe, verum ut ei adeſſet in litis aeſtimatione, adductum eſſe: *τοῦ δὲ ῥήτορος Ὁρτησίου τὴν μὲν εὐθεῖαν τῷ Βέρρῃ συνειπεῖν μὴ τολμήσαντος, ἐν δὲ τῷ τιμήματι πειθέντος παραγενέσθαι.* Addit eodem hoc loco PLUTARCHUS Ciceronis jocum in HORTENSIUM, qui a Verre acceperat aeneam vel eburneam Sphingem pretioſiſſimam; HORTENSIO enim in judicio dicente, ſe quaedam ab accuſatore dicta non intelligere, eaque aenigmata eſſe, Cicero reſpondit; *atqui debes, cum Sphingem domi habeas.* (9). Hanc quidem a C. Verre acceperat ut munuſculum, non tamen, ut ideo contra legem Cinciam (10) peccaſſe dici poſſit.

Ver-

(6) *ad finem Act.* I. *in Verrem.*

(7) *Orat. c.* 37. Leg. SEB. CORRADUS *Quaeſt. p.* 53.

(8) *in Vita Ciceronis T.* I. *p.* 864. *C.*

(9) Legatur de eodem Ciceronis joco QUINCTILIANUS *Inſt. Orat. L.* VI. *c.* 3. *p.* 563. PLINIUS *Hiſt. Nat. L.* XXXIV. *c.* 8. ait: „ Signis, quae vocant Corinthia, plerique in tantum ca-
„ piuntur, ut ſecum circumferant, *ſicut* HORTENSIUS *Orator Sphin-
„ gem Verri reo ablatam.*" caet.

(10) *Lex Cincia* lata eſt A. U. 549. a M. Cincio Alimento, *de donis & muneribus, ne quis ea ob cauſſam orandam caperet.* TACITUS *Ann. L.* XI. *c.* 5. Eſt vero de hac lege omnino commendandus FR. BRUMMERI *Commentarius ad Legem Cinciam.* Leg. BACHIUS *Hiſt. Jur. L.* II. *c* 2. *S.* 1. §. 34.

Verre igitur ſponte in exſilium profecto, nihil amplius in judicio geſtum eſt: multo minor tamen pecuniae ſumma ab eo repetita eſt (1), quam primo in *Divinatione* (2) ſe petiturum denunciaverat Cicero, „ ad gratiamne „ HORTENSII, an ſuam, an etiam conniventia ipſius Ci„ ceronis, parum comperimus," ut ait ASCONIUS, (3) qui etiam addit, „ Ciceronem finxiſſe, Verrem *comper*„ *endinationi* (4) praeſto fuiſſe, ut bis defenſus, „ accuſaretur iterum. Metuebat enim, ne tantum ne„ gotium poene tacitum praeteriret." Cum Secundam igitur, quam habemus, Actionem, tantummodo ſcripſerit Cicero, ut civibus ſuis exemplum relinqueret, quid in hoc quoque eloquentiae genere praeſtare poſſet, temere omnino mihi agere viderer, ſi ex his libris conſtituere & colligere vellem, probabilem HORTENSIANAE defenſionis ordinem & rationem (5): aliquando tamen in iis memorat quaedam HORTENSII dicta ad Primam Actionem, quae majorem fidem merentur. *Cf. Act.* II.

(1) *Cf Act.* I. *c.* 18. *in fine.*

(2) *Divinatio* dicitur, ſecundum ASCONIUM PEDIANUM „ quia „ non de facto quaeritur & conjectura, ſed de futuro, quae eſt di„ vinatio, uter debeat accuſare." *Arg. Divin. in Q. Caecilium*, ubi & aliorum opiniones retulit. Legatur GELLIUS *N. A. L.* II. *c.* 4. Cf. FR. POLLETUS *Hiſt. For. Rom. L.* IV. *c.* 2. *initio.*

(3) *ad fin. Actionis* I.

(4) Legatur omnino FERRATIUS *Epiſt. L.* I. *Ep.* 9. quam *de comperendinatione* inſcripſit, *pag.* 36 — 39. Contendit ibi, contra *Sigonium*, *Manutium*, aliosque, in utraque Actione, in quaeſtionibus de Repetundis, primum dicendi locum datum fuiſſe accuſatori, defenſori poſtremum.

(5) Huc facere poſſunt *L.* 1. *c.* 9. *L.* 2. *c.* 72. 78. *L.* 3. *c.* 3. 28. 78. 95. *L.* 4. *c.* 4. *L.* 5. *c.* 1. 9. 13. 18. & alia.

II. *L.* 1. *c.* 28. ibique ASCONIUS. *L.* 1. *c.* 58. *L.* 2. *c.* 64. *L.* 5. *c.* 59.

§. XI.

De cauſſa *Rabirii* vidimus *Sectione Priore* §. 19. (6) Hanc cum Cicerone ita eſt partitus HORTENSIUS, ut illi perorandi locum reliquerit. In ea etiam uſus eſt maximis miſerationibus, etſi T. Labienus ejus diligentiae temporis anguſtiis obſtiterat, eumque ex comparato & conſtituto ſpatio in ſemihorae curriculum coegerat. (7) HORTENSII oratio diu ſuperſtes fuit, citatur enim apud CHARISIUM. (8)

Peroratione m iterum Ciceroni demandarunt HORTENSIUS, & M. Craſſus, in cauſſa *L. Murenae*, quem Conſulem deſignatum defenderunt, contra accuſationem Servii Sulpicii. Hic enim victus in petitione conſulatus L. Murenam *ambitus* accuſaverat, & ſubſcriptores habebat M. Catonem, Cn. Poſtumium, & Serv. Sulpicium adoleſcentem.

Murena, qui in bello Mithridatico, L. Lucullo legatus fuerat, (9) ad Ciceronem & HORTENSIUM confugerat, ut hi clariſſimi & eloquentiſſimi viri eum hoc periculo liberarent. Hi itaque majorum inſtitutis obſecuti reum ſuſceperunt; neque amicitia, quae eos inter & accuſatores, Sulpicium & Catonem, intercedebat, facere potuit quominus L. Murenam defenderent:

„ Ete-

(6) Leg. MIDDLETON *in Vita Ciceronis T.* I. *S.* 3. *p.* 162. *ſeqq.*

(7) CICERO *Or. pro Rabirio c.* 2. ibique P. MANUTIUS.

(8) SOSIP. CHARISIUS *Inſt. Gram. L.* 2. *p. m.* 123. „ Cicatricum non citatricium. HORTENSIUS *pro C. Rabirio.* Cicatricum „ mearum, quod emendate dictum eſt."

(9) CICERO *Or. pro Murena c.* 9.

„ Etenim, *dicit* CICERO *ad Sulpicium*, (1) si me
„ tua familiaritas ab hac cauſa removiſſet, &, ſi hoc
„ idem Q. HORTENSIO, M. Craſſo, clariſſimis vi-
„ ris, ſi item caeteris, a quibus intelligo tuam gratiam
„ magni aeſtimari, accidiſſet: in ea civitate Conſul
„ deſignatus defenſorem non haberet, in qua nemini
„ umquam infimo majores noſtri patronum deeſſe vo-
„ luerunt."

HORTENSIUS Murenam defendit de prima actione, M. Craſſus de ſecunda, Cicero vero de tertia; quae tres actiones, pro illius temporis more, in cauſſis orabantur. De HORTENSII oratione honorificum eſt PLUTARCHI teſtimonium, his verbis: (2): *Λικιννίῳ δὲ Μουρήνᾳ Φεύγοντι δίκην ὑπὸ Κάτωνος, βοηθῶν καὶ Φιλοτιμούμενος Ὁρτήσιον ὑπερβάλλειν εὐημερήσαντα, μέρος οὐδὲν ἀνεπαύσατο τῆς νυκτὸς, ὡς ὑπὸ τοῦ σφόδρα Φροντίσαι καὶ διαγρυπνῆσαι κακωθεὶς, ἐνδεέστερος αὐτοῦ Φανῆναι.* *id eſt:* „ L. Murenam, quem accuſavit Cato, Cicero
„ defenſurus, totam noctem lucubravit, dum HOR-
„ TENSIUM contendit, *cujus mire placuerat ora-*
„ *tio*, ſuperare: ut prae nimia ſolicitudine & vigiliis ita
„ affecerit valetudinem, ut concedere illi videretur."

His igitur ſtudiis & patronorum laboribus etiam tri-
buendum, quod Murena abſolutus fuerit. Qua feſtivitate & ſuavitate in illa defenſione uſus ſit Cicero, teſtis eſt ipſa oratio, in qua contentio Jurisconſulti cum Imperatore, & illa reprehenſio juris ſcientiae & diſciplinae Stoicorum, jucundiſſima eſt. *Ingenioſiſſimus autem*

&

(1) *l. l. c.* 4.
(2) *in Vita Ciceronis T. I. p.* 878. *D.*

& copioſiſſimus HORTENSIUS, *multa quidem a ſua parte* graviſſime *dixit.* (3)

§. XII.

L. Licinio Murena & D. Junio Silano Conſulibus, A. U. 691. majus adhuc dedit HORTENSIUS exemplum pietatis & verecundiae, quam in ſervandis & obeundis oratorum officiis ſequebatur. Defendit enim P. Sullam, uti vidimus *Sectione Priore* §. 20. etiamſi hic accuſaretur a filio ſummi ejus amici L. Torquati, & accuſaretur quidem de conjuratione contra ſalutem Reipublicae, vitamque Conſulis L. Torquati, facta. (4) Hac in cauſſa HORTENSIUS iterum primas partes egerat, Cicero peroorationem in ſe ſuſceperat; in qua cum accuſator dixiſſet, Sullam (5) ſibi numquam reſtiturum fuiſſe, ſed indicta cauſſa abiturum, niſi Cicero eam recepiſſet: „ Si jam, *reſpondet* CICERO, (6) hoc tibi concedam, Q. HORTENSIUM, *tanta gravitate hominem*, ſi, hos tales viros non ſuo ſtare judicio, ſed meo: ſi hoc tibi dem, quod credi non poteſt, niſi ego huic adeſſem, hos adfuturos non fuiſſe: uter tandem rex eſt, isne, cui innocentes homines non reſiſtunt, an is, qui calamitoſos non deſerit?" Facetus

(3) CICERO *Or. pro Murena. c.* 23.

(4) Cf. SALLUSTIUS *Cat.* 18. & CICERO *Or. pro Sulla. c.* 18.

(5) Caeſaris partes poſtea in bello Civili ſecutus eſt Sulla, & legatus ſiniſtro cornu, in pugna ad Pharſaliam praefuit. Leg. CAESAR. *Comm. Bel. Civil. L.* III. *c.* 51.

(6) CICERO *Or. pro P. Sulla. c.* 7.

tus nempe esse voluerat accusator, juvenis Torquatus, & Ciceronem cum Tarquinio & Numa, tertium *peregrinum regem* dixerat.

Ex eadem *Oratione pro Sulla c.* 2. porro conficitur, HORTENSIUM aliquando etiam defendisse *L. Varguntejum* Senatorem (1); eumdem, qui postea Ciceronem in lectulo interficere voluit: nempe Senatusconsulto de conquirendis Catilinariae conjurationis sociis facto, cum plurimi cives essent accusati, atque ita de plerisque hoc certum & probatum videretur, ut nemo iis affuerit. „ Quis nostrum, *inquit* CICERO *l. l.* adfuit „ Varguntejo? nemo: *ne hic quidem* Q. HORTEN„ SIUS, *praesertim qui illum solus antea de ambitu* „ *defendisset.*" Quod cum unicum hujus judicii sit testimonium; ignoramus penitus, quo anno, quave occasione, de ambitu L. Varguntejus sit accusatus, & ab HORTENSIO defensus.

§. XIII.

De *L. Valerii Flacci* judicio, in quo tam amice de Ciceronis Consulatu locutus est HORTENSIUS, vidimus *Sect.* I. §. 27. In ea priores partes agere itemrum huic obtigit, & *copiose & subtiliter* de multis criminibus differuit, (2) quae Flacco objiciebantur; de aliis vero sic respondit, ut omnem dubitationem solvisse diceretur. (3)

Quis autem fuerit alter ille *Valerius*, quem eodem anno

(1) Leg. SEB. CORRADUS *Quaest. p.* 132.
(2) *Or. pro Flacco. c.* 17.
(3) CICERO *l. l. c.* 23.

Anno 694. absolutum legimus (4), defendente HORTENSIO, dubitatur: (5) & teste ERNESTO, (*in Cl. Ciceroniana in Voce*) incertum est, sitne idem ille L. Valerius Flaccus, de quo modo vidimus, an Valerius Messala Niger, Consul anni superioris, an tandem Valerius Jurisconsultus, cujus quidem cognomen nullum cognoscitur.

Cum de *P. Sextii* causa satis viderimus, *Sect.* I. §. 37. pergimus ad A. U. 699. quo tres causas memoratas reperimus, *Scauri*, *Plancii*, & *Procilii*.

§. XIV.

M. Scaurus A. U. 698. ex Praetura Sardiniam obtinuerat; & in ea neque satis abstinenter se gessisse existimatus est, & valde arroganter. Quum igitur Romam rediisset, querentibus Sardis *repetundarum* postulatus est, apud M. Catonem Praetorem.

Magnam in eo periculo fiduciam Scaurus tum posuit in Pompeji dignitate, & in facundia patronorum, quos praeter consuetudinem sex habuit, & inter eos M. Marcellum, M. Calidium, M. Ciceronem, & Q. HORTENSIUM. Laudaverunt eum praeterea Consulares novem, primarii viri, L. Piso, L. Volcatius, Q. Metellus Nepos, M. Perpenna, L. Philippus, M. Cicero, Q. HORTENSIUS, P. Servilius Isauricus pater, Cn.

(4) Cf. CICERO *Epist. ad Att. L.* II. *Ep.* 3. ibique *Corradus*, *Manutius*, *Popma*, aliique.

(5) Cf. C. M. WIELAND *in Vers. Epist. Ciceronis L.* I. *Ep* 27. *p.* 126. *T.* I. *p.* 331.

Cn. Pompejus Magnus. (1) Horum tamen magna pars per tabulas laudaverunt, (2) quia aberant. HORTENSIUS vero & Cicero id coram feciſſe exiſtimandi ſunt, cum praeſentes fuiſſe videantur, cauſſam ipſam acturi. Videtur etiam Scaurus, his auxiliis inſtructus & recte uſus. abſolutus eſſe. Legatur ASCONIUS PEDIANUS *Com. ad Fragm. Cicer. Or. proM. Scauro.*

Quod HORTENSIUS *Cn. Plancium*, Aedilem creatum, defenderit, affirmat P. MANUTIUS *ad Ciceronis Or. pro Plancio cap.* 15.

De *Procilii* & *Milonis* cauſſis ſupra vidimus; ad hanc vero notandum, Milonem etiam videri ſex patronis fuiſſe uſum: Q. HORTENSIUS pauciſſima tantum dixit, teſte ASCONIO PEDIANO *in Argum. Or. pro Milone*, quod intelligendum videtur de brevi compendioſaque defenſione.

His tandem addantur Orationes pro *Valerio Meſſala*, & pro *Appio Claudio Pulchro*, de quibus ſatis abunde egimus *Sectione Priore*, ut plane ſupervacaneum videatur, plura de his cauſſis hoc loco addi.

CA-

(1) „ Unus praeterea adoleſcens laudavit, frater ejus Fauſtus Cor„ nelius, Sullae filius." ASCONIUS PEDIANUS *ad Ciceronis Or. pro M. Scauro.*

(2) *Laudatores*, viri plerumque erant graves & nobiles, qui in judiciis cum Advocatis & Patronis aderant miſeris reis, ut horum facta & merita illuſtrarent & ornarent; eorum legitimus quaſi conſuetudinis numerus fuit decem. CICERO *Verr. Act.* II. *L.* 5. *c.* 22. ASCONIUS PEDIANUS *ad Frag. Or. pro Scauro*; abſentes per tabulas laudaſſe videntur. Cf. DE BEAUFORT *République Romaine L.* V. *c.* 5. *p.* 108. & FR. POLLETUS *Hiſt. For. Rom. L.* II. *c.* 4.

CAPUT TERTIUM.

DE AEMULATIONE HORTENSII INTER ET CICERONEM.

§. I.

De quaeſtione, utrum aemulatio, quae obtinuit inter hos duos primarios viros, juſtis ſemper fuerit circumſcripta limitibus, an vero latius prolata, & in odium tandem converſa ſit, diverſae, imo plane contrariae ſunt Virorum Doctorum ſententiae. Sunt enim qui eos huic aemulationi nimium indulſiſſe dicant, uti TUNSTALLUS (3) & CORRADUS, (4) quorum hic etiam ulterius progreſſus profitetur, „ ſe facile „ poſſe probare, non obtrectationem modo, ſed odium „ etiam, invidiam & ſimultatem, ſed tamen occul„ tam, inter eos interceſſiſſe: "

Alii vero, quorum e numero praecipui ſunt VOSSIUS, (5) BAYLIUS, (6) MIDDLETONUS, (7) &

(3) *Epiſt. ad Middletonum p.* 35—38.
(4) *Comm. ad Brut. p.* 6.
(5) *Inſt. Or. L.* II. *c.* 4. §. 4.
(6) *Lect. Hiſt. Crit. in V. not. H.*
(7) *in Vita Ciceronis T.* II. *S.* 7. *p.* 52—54.

& patruus meus JO. LUZACIUS, (1) benignius judicium de horum clariſſimorum virorum amicitia, conjunctis ſtudiis, ac leviore nonnullis in rebus diſſenſione, tulerunt. Credunt enim, inter Ciceronem & Hortenſium amicitiam & familiaritatem fuiſſe haud vulgarem, eam vero pro varia temporum conditione, & diverſo utriusque de iis ſenſu, nonnihil aliquando refrixiſſe; minime tamen ut inde invidia vel odium ortum eſſe dici poſſit: & omnino aſſentimur BAYLIO, judicanti, magis mirandum eſſe, hos praeclaros viros tot ac tanta ſibi invicem dediſſe amicitiae documenta, quam hanc ipſam non ſemper intactam & conſtantem fuiſſe.

Re igitur accuratius conſiderata, non dubitamus cum VOSSIO *l. l.* negare, „ quicquam adferri poſſe, unde „ colligatur, Ciceronem male voluiſſe Hortenſio, aut „ quicquam ſiniſtrae de eo ſuſpicionis concepiſſe, „ praeterquam in exilio." Verum de hoc vitae Hortenſii loco, & in genere, de diverſitate ſententiarum Hortenſii & Ciceronis quod ad res publicas, copioſius egimus in *Sectione Priore*, ibique vidimus, qua ratione hi optimi cives, diverſis principiis imbuti, ſemper tamen ad ſalutem & felicitatem Romanae Reipublicae promovendam, omnes ſuas actiones cogitationesque intenderint & direxerint; verbo tamen hic quaedam addam.

Et quod de diverſis principiis, quibus Cicero & Hortenſius imbuti fuerint, diximus, intelligendum eſt de modo & ratione, qua uterque ad Rempublicam acces-

(1) *in Diſſ. Inaug. contin. Obſ. Apolog. pro Jureconſultis Rom. Cap.* III. §. 9 — 12.

ceſſit. Hortenſius, genere illuſtri & nobili ortus, cujusque parentes & proavi ſummis functi erant honoribus, optimatium partibus ab initio addictus erat: Sullam ſecutus, hujus favore, ut videtur, primum gradum honoris, Quaeſturam, adeptus erat, & deinde ab ejus liberalitate, ex proſcriptorum bonis, magnas forte acquiſiverat poſſeſſiones. Cicero contra, non tam nobilitate gentis illuſtris & clarus, populi beneficiis, ingenii ſui praeſtantiae, & indefeſſo labori & induſtriae, omne, quod quidem habuit, debuit. Inde Hortenſium fere ſemper pro Patriciis & Sullana factione regiminisque forma pugnaſſe, Ciceronem magis populo ac plebejis faviſſe, animadvertimus.

Haec vero opinionum diverſitas, quae odii & invidiae ſatis frequens cauſſa eſſe ſolet, in Hortenſio & Cicerone triſtes illos effectus non habuit. Utrique enim cognitus erat alterius ſincerus amor patriae, cui quidem pro ſententiarum differentia, diverſis modis ab utroque proſpiciebatur.

Hortenſius, octo annis Cicerone major, in rebus publicis jam valde erat verſatus, cum ad eas primum accederet Cicero; Aedilitatemque nactus erat eo anno quo huic Quaeſtura obtigit. Tum primum in dignitatibus ambo conſtituti, potuerunt rebus & factis ſe invicem juvare, & ad quodque praeclarum excitare & incendere.

Quod uterque militiam per aliquot annos coluerit, Hortenſius, uti vidimus, in Bello Sociali, Cicero etiam ſub Cn. Pompejo Strabone, Pompeji Magni patre, pertinet univerſe ad omnium illuſtriſſimorum juvenum Romanorum conſuetudinem, non ad ſingularem Hortenſii, vel alterius praeclari viri, imitationem.

§. II.

A Ciceronis Quaestura igitur initium eorum aemulationis in Republica videtur ducendum. Habebat hic enim Hortensium, cum quem ad imitandum & superandum sibi in eloquentia proponeret, tum quem sequeretur in addiscenda gubernandi arte. Jacto sic itaque per Quaesturam gloriae fundamento, Hortensium per sequentes & consuetos honoris gradus secutus Cicero, Aedilitatem, Praeturam, Consulatumque tandem obtinuit, suo quemque anno.

Eadem ratione, qua inceperant, in Republica tum conjuncti vixerunt, ut quisque suas partes fideliter tueretur, Hortensius ambitiosiores Optimatum & Patriciorum, Cicero magis populares. Inde hic ab illo dissensit in caussa Q. Opimii, & in rogationibus Gabinii & Manilii; quae quidem Ciceronis Oratio pro Lege Manilia, optimum exemplum videtur diversae sententiae cum singulari humanitate propositae. Hortensius enim & Catulus, legis dissuasores, in ea sic proponuntur & oppugnantur, ut glorioſior haec videatur Ciceronis refutatio, quam aliorum laudatio.

Ad summum igitur honoris gradum cum perveniſſet Cicero, Hortensium sibi magis adhuc, quam antea, devinxit, laude suarum rerum praeclariſſime gestarum; licet, ut ipse testatur, (1) hic suus Consulatus Hortensium primo leviter perstrinxiſſet; quod intelligendum non magis de Hortensio, quam de omnibus nobilibus, qui plerumque Ciceroni, ut homini novo, adversabantur.

(1) *Brut. c.* 94. Ibique SER. CORRADUS. *pag.* 459.

tur. Si igitur aliquid fuit, quod Hortenſius in initio Conſulatus Ciceronis minus probaret, hoc plane fuſtulerunt egregia illa facta & merita, ob quae

Roma patrem patriae Ciceronem libera dixit. (2)

Etenim Hortenſius hunc admiratus fuerat ſaepe in difficillimis rebus, in quibus tum ſibi ſolerti prudentia ab omnibus inſidiis caveret, tum conſtantia admirabili malevolorum machinationibus reſiſteret: verum nihil prudentius, nihil conſtantius excogitari poterat, quam illius peſtis Catilinariae conjurationis depulſio, qua civitati veram libertatem, & bonis civibus ſecuritatem felicitatemque reddidit,

— — — *Romani maximus auctor,*
Tullius, eloquii, cujus ſub jure, togaque,
Pacificas ſaevus tremuit Catilina ſecures. (3)

Poſt hoc itaque tempus quam familiariſſime videntur vixiſſe, & in graviſſimis publicis rebus ſimul egiſſe, quo in primis refero C. Rabirii defenſionem, ex qua tam inſigniter Reipublicae ſalus tum pendere Ciceroni viſa eſt. „ Non enim, *inquit*, (4) non invidia vitae,

(2) JUVENALIS *Sat.* VIII. *vſ.* 244. etiam CICERO *Philipp.* II. *c.* 5. „ placuit, *inquit*, meus conſulatus P. Servilio, — Q. Lutatio „ Catulo, cujus ſemper in hac republica vivet auctoritas: placuit „ duobus Lucullis, M. Craſſo, Q. HORTENSIO, C. Curioni, M. „ Lepido, C. Piſoni, caet." Cf. ABRAMUS *ad h. l.* Legatur SEB. CORRADUS, *Quaeſt. pag.* 83.

(3) LUCANUS *Pharſ. L.* VII. *vſ.* 62.

(4) CICERO *Or. pro C. Rabirio. c.* 1. & 2.

„ tae, non denique veteres, juſtae, gravesque inimi-
„ citiae civium, Rabirium in diſcrimen capitis voca-
„ verunt: ſed ut illud ſummum auxilium majeſtatis
„ atque imperii, quod nobis a majoribus eſt traditum,
„ de Republica tolleretur: ut nihil poſthac auctoritas
„ Senatus, nihil conſulare imperium, nihil conſenſio
„ bonorum contra peſtem ac perniciem civitatis vale-
„ ret, idcirco unius hominis ſenectus, infirmitas, ſo-
„ litudoque tentata eſt."

Neque in cauſſa violatorum a Clodio Bonae Deae Sacrorum a Cicerone plane diſceſſit, omnino cum eo ſentiens, ſceleſtiſſimum Clodium graviſſimas poenas meruiſſe, quamquam de modo ac ratione puniendi differret.

Odio vero ductus nimis properaverat Hortenſius hanc rem in judicium deducere, in quo forte minus prudenter egit; unde & conſilium hoc a Cicerone reprehenſum videmus. Sed de hoc loco, ut & de aliis ejusdem temporis criminationibus, latius vidimus *Priore Sectione*. Hic igitur addere ſufficiat, in Ciceronis verbis ad Atticum ſcribentis, vix ullum quaeri poſſe argumentum, quo aliqua remiſſio amicitiae probetur, quod ad hanc quidem Hortenſii vitae partem.

§. III.

Praecipua vero argumenta perfidiae & invidiae Hortenſii in Ciceronem, ab hujus exilio repetenda eſſe, putaverunt recentiores: in eo ubique ſimultatis veſtigia ſibi deprehendere viſi ſunt. Hic aperta, ajunt, adſunt indicia, diſſertiſſimaque ipſius Ciceronis teſtimonia. Verum enimvero, ſi attente horum dierum hiſtoriam legimus, nullum dubium nobis ſupererit, quin & in hoc mi-

miſerando Ciceronis caſu Hortenſius verum ſe & ſincerum amicum praeſtiterit.

Quum enim Cicero ſcelere Clodii & perfidia potentiſimorum civium peteretur, ad eum venit Hortenſius, ut ſuum amicum in hac calamitate ſublevaret & recrearet; publice etiam ſe ejus partibus addictum eſſe declaravit, periculoſa ad Conſules legatione pro eo ſuscepta, in qua, quum pro ſalute amici ſui etiam in vitae discrimen adductus ſit, omnis occultae invidiae, nedum odii ſuſpicio, ab Hortenſio noſtro alieniſſima videtur.

Sed, dicat aliquis, cur tam acriter Hortenſium perſtrinxit Cicero, cum in Graecia degens, *ad Atticum*, vel *ad Quintum Fratrem*, ſcriberet? Huic iterum audacter reſpondemus, nimias haſce querelas & ſuſpiciones unice tribuendas eſſe ipſius calamitatis moli & gravitati, quae praeter modum Ciceronis animum exaſperaverunt, & eum injuſtum reddiderunt erga omnes, etiam optimos amicos. Cui obſervationi maximum pondus accedit ab ipſis Ciceronis verbis, ad Atticum in alia cauſſa ſcribentis: (1) „ nam, ſi ita ſtatue-„ ris, & irritabiles animos eſſe optimorum ſaepe homi-„ num, & eosdem placabiles; & eſſe hanc agilitatem, „ ut ita dicam, mollitiamque naturae plerumque boni-„ tatis, &, id quod caput eſt, nobis inter nos noſtra „ ſive incommoda, ſive vitia, ſive injurias eſſe tole-„ randas; facile haec, quemadmodum ſpero, mi-„ tigabuntur."

Et omnino mitigantur Ciceronis querelae & accuſationes, cum hac obſervatione, tum Attici teſtimoniis, qui

(1) *Epiſt. ad Att.* I 17.

qui Hortenſio familiariſſimus, viderat quidquid egerat, & recte poterat judicare, qua mente Ciceroni voluntarii & liberi exſilii dediſſet conſilium; unde & hunc ab injuſta illa opinione deducere conatus eſt.

Quae quidem poſt Ciceronis abitum acciderunt, direptiones villarum & agrorum, aedium incendium, luctus & miſerrima conditio uxoris & liberorum, certe numquam, vel ab Hortenſio, vel ab aliis praevideri potuerunt; & iis ſceleribus aperte reſiſtere eo periculoſius erat, quod illorum amicorum interitus Ciceroni plane omnem reditus ſpem praecluſiſſet. Ipſaque haec Clodianorum audacia & libido demonſtrant, quam prudenter Ciceroni ſuaſerint, ut potius in exilium iret, quam vi & ferro ſceleſtae illi factioni reſiſteret; cujus audacia, pro ratione difficultatum & oppugnatorum pertinaciae, auctum iri videbatur.

Spectata dein maxime eſt Hortenſii erga Ciceronem amicitia, in ejus ſtudio & opera in ornando hujus amico Lentulo, & in defendendis P. Sextio, Plancio, aliisque. Celeberrimum vero amicitiae documentum habemus, cooptationem in Collegio Augurali, cujus beneficii, etiam diu poſt Hortenſii mortem, non ſine praeclara grati animi teſtificatione, recordatus eſt Cicero. Tum enim nihil amplius erat, in quo non pares eſſent, ſive in foro, ſive in Senatu, ſive in religione. Per omnes honoris gradus pari quaſi paſſu ambularant; ultimum hoc ſupererat, quod Ciceroni deeſſet; id nunc aſſequebatur ſtudio Hortenſii, qui, praeclariſſimum Auguralis Collegii decus & ornamentum, non dubitavit ſuum aemulum eo honore & munere ornare. Utrum hoc etiam pertineat ad occultam invidiam & odium, videant illi, qui cum CORRADO de eorum amicitia ſentiant.

Et

Et in Cilicia cum esset Cicero, magnifice scripsit de Hortensii amore, sincera familiaritate, & necessitudine, quibus laudibus omnino hic occasionem dederat, humanissima illa salutatione in Cumano, *quo & infirmus, & tam longe, venerat.* (1).

Pollicitus tum est Ciceroni, se curaturum, ut annua haec provincia ei esset; quod cum non fecerit, in sola hac caussa dubitanter de ejus fide scribendum esse, posset videri, nisi iterum ipse Cicero eum purgaret, honorificis illis locis, quibus mortuum amicum sincere ploravit; testatus, se constituisse cum eo quam familiarissime vivere, simul atque e provincia Romam rediisset. Ex hac igitur disquisitione concludimus, Hortensium, quod ad res publicas attinet, aliquando a Cicerone dissensisse, numquam tamen has diversas opiniones in caussa fuisse, cur sibi invicem inviderent, nedum sese odio persequerentur.

Cum igitur ex praecedentibus intelligatur, diversas egregii hujus virorum paris *de publicis rebus* opiniones, nullam umquam odio aut invidiae inter illos ansam praebuisse, jam videndum erit, an ipsorum contentiones *in agendis caussis*, cum acerbitate conjunctae fuerint; & ab hac parte omnibus accurate perpensis, facilius etiam probatu erit, illam aemulationem justam laudabilemque fuisse.

§. IV.

Amamus, uti VOSSIUS l. l. observat, qui similes sunt & iisdem rebus studeant, quod OVIDIUS (2) dicit,

Sci-

(1) *ad Att. L. V. Ep. 2.*

(2) *Ep. ex Ponto II. Ep. 5. Vs. 59.*

Scilicet ingeniis aliqua eſt concordia junctis,
Et ſervat ſtudii foedera quisque ſui.
Ruſticus agricolam, miles fera bella gerentem,
Rectorem dubiae navita puppis amat.

Et certe, principium amicitiae & conciliatio conſiſtit in ſimilitudine ſtudiorum ac morum, quae homines conjungit & allicit, ſi ita recte ſit comparata & directa, ut alter alterius gloriam vel lucrum non praevertat; quod ſi fit, invidiam & odium ex eadem hac ſtudiorum ſimilitudine oriri, non raro obſervatur: ſapienter igitur Cicero, judice VOSSIO *l. l.* ut fidem faciat, ſe non invidiſſe Hortenſio, neque hunc ipſi, dicit, nihil eum ſuis ſtudiis incommodaſſe, verum potius laboris ſocium habuiſſe: „ Dolebamque, *inquit*, (1) *quod non, ut ple-*
„ *rique putabant, adverſarium, aut obtrectatorem*
„ *laudum mearum, ſed ſocium potius, & conſortem*
„ *glorioſi laboris amiſeram.* Etenim, ſi in leviorum
„ artium ſtudio memoriae proditum eſt, poetas nobi-
„ les poetarum aequalium morte doluiſſe: quo tandem
„ animo ejus interitum ferre debui, cum quo certare
„ erat glorioſius, quam omnino adverſarium non ha-
„ bere? cum praeſertim non modo numquam ſit aut
„ illius a me curſus impeditus, aut ab illo meus, ſed
„ contra ſemper alter ab altero adjutus & communi-
„ cando, & monendo, & favendo.”

Et hoc ipſo loco tota de aemulatione quaeſtio abſolvitur, ſi quidem nihil juſtius, nihil verius dici potuit, & vero a Cicerone, cujus fere unica auctoritate haec lis componi debet: huic igitur ſententiae non dubitamus

(1) *Brut. c. 1.*

mus nomen ſubſcribere. Nihil enim me movent verba *Epiſt.* 3. *L.* I. *Epiſtolarum ad Quintum Fratrem*, quae VOSSIUS huic teſtimonio objicit; nihil aliarum Epiſtolarum, vel ambiguae, vel apertae, locutiones. Hae certe hic non poſſunt opponi, licet tamen injuſte his moroſis acerbisque querelis abutantur plerique: quid enim ad Hortenſii & Ciceronis aemulationem in eloquentia culpandam, faciunt unius epiſtolae acerbiora verba? an iis infirmari poſſe credamus egregium illud Hortenſii elogium, quod ſedato tranquilloque animo, diu poſt mortem amici, Cicero ſcripſit? Minime. Vidimus jam ſaepius, qua animi perturbatione ſupra laudatas Epiſtolas ſcripſerit, & revera major etiam fides eſt habenda iis, quae tum ſcripſit, quum & laudare, quae laudanda erant, & vituperare, quae ſibi displicerent, abunde ei licebat.

Si denique aliter ſenſit Cicero, quam ſcripſit, debet aliqua cauſſa eſſe hujus dubiae mentis; illam autem non video, neque eſt quod hic dicamus, (1)

Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit,
Cum ſuus ex merito quemque tuetur honos:

nam de livore ne ſomniando quidem cogitari poteſt, inter tot, quae recenſuimus, amicitiae documenta.

§. V.

Sic minime quaerentibus, cur Cicero Hortenſium modo laudet, modo vituperet, cum SEBASTIANO CORRADO

(1) OVIDIUS *Amor. L.* I. *El.* 15. *vſ.* 38.

DO respondebimus, „ Ciceronem more hominum feciſſe ; „ qui quum videret Hortenſium, virum nobilem, & mul- „ tum in Republica potentem, ſibi quidem invidere, „ ſed amicum eſſe ſimulare, par pari referebat, quum „ ſuam *βαθύτητα* ita ſervabat, ut ipſum publice ſaepe „ laudaret, & de ſe bene meritum vocaret, ſed *Attico* & „ *Quinto Fratri* aliter ſcriberet." Hoc enim erga Hortenſium &Ciceronem iniquiſſime dictum judicamus, hiſtoriae, ut & graviſſimorum auctorum fidei, contrarium.

Qua in re luculentiſſimum teſtem habemus CORNELIUM NEPOTEM. „ Atticus, *inquit*, (1) id difficil- „ limum effecit, ut inter quos tantae laudis eſſet aemu- „ latio, *nulla intercederet obtrectatio*, *eſſetque talium* „ *virorum copula:*" & hic omnino eſt teſtis omni, ut ita dicam, exceptione major; vixit enim Nepos cum tribus his amicis, Hortenſio, Attico & Cicerone (2), praeſens eorum familiaritatem, humanitatem, & amicitiam cognovit; hujus, ab omni partium ſtudio remoti, maxime erat, de eorum neceſſitudine ſtatuere.

Si praeterea Cicero Hortenſio invidit, & ſi hic Ciceroni obtrectatus eſt, omnia quae *in Bruto*, tam honorifice de ſua cum Hortenſio amicitia, ſcripſit Cicero, plane honeſto viro indigna videntur; qui, ſi hoc nomen vere & jure ſibi aſſerere cupiat, a talibus laudationibus, quae quidem occultis ſententiis plane ſint contrariae, ſedulo abſtineat, neceſſe eſt.

Omnis igitur aemulatio, quae inter eos fuit, ad laudem & gloriam eloquentiae referenda, in qua certe utilis, laudanda, & neceſſaria erat. De illa etiam ſola loqui-

(1) *in Vita Attici c.* 5.
(2) Cf. GELLIUS *Noct. Att. L.* XV. *c.* 28.

quitur Cicero, *in principio Bruti*, quem locum male ad universam vitae rationem extenderunt nonnulli. Ibi enim tantum spectatur Oratoris, quam statuimus, persona Hortensii, sed de eo tanquam Senatore, & in Republica administranda socio & adjutore, Cicero nullo modo cogitavit.

De Claris Oratoribus acturus, incipit Cicero a memoria & laude maximi quem viderat, & cognoverat, deinde, recensitis omnibus prioribus, antiquissimis & recentioribus, disputationi finem facit, magnifice laudandis & ponderandis singulis Hortensii ingenii meritis. Huic disquisitioni inseruit cursum suorum studiorum & laborum; etsi haec viderentur a sibi proposita ratione diversa, idcirco tamen ab eo proferebantur, *ut posset Brutus ejus cursum perspicere, & videre, quemadmodum esset in spatio Q. Hortensium, ipsius vestigiis persecutus.* (3) Hoc tamen pluribus legatur *in Bruto. cap.* 88—97.

§. VI.

Etenim cum Hortensius, major Cicerone, jam per plures annos in foro versatus esset, antequam hic ad illud accederet, citius etiam evanuit, propterea quod post Consulatum a summo studio, quo a puero fuerat incensus, remisit, gravi errore ductus, existimans, sibi ab aemulis in eloquentia parum, vel nihil, timendum esse: tum etiam, „ quia in omnium rerum abundantia voluit beatius, ut ipse putabat, remissius certe vivere. Primus, „ & secundus, & tertius post consulatum annus, tantum quasi de picturae veteris colore detraxit, quantum

(3) *Brut. c. 90.*

„ tum non quivis ex populo, ſed exſtimator doctus &
„ intelligens poſſet cognoſcere. Longius autem proce-
„ dens, & in caeteris eloquentiae partibus, tum in ce-
„ leritate & continuatione verborum adhaereſcens, ſui
„ diſſimilior videbatur fieri quotidie. (1)

Cicero interea ſua ſtudia perſecutus eſt, & juvenili cum ardore dies noctesque operam intendit, neque deſtitit, omni genere exercitationis, & maxime ſtilo, *ſuum illud augere*, *quod erat*, *quantumcunque erat*. (2) Popularem voluntatem captabat, cum aſſiduitate in cauſſis & induſtria, tum propter exquiſitius & minime vulgare orationis genus, quo animos hominum ad ſe dicendi novitate convertit.

Hortenſius interea quievit, usquedum Ciceronem Conſulem videret; tum recreatus ad induſtriam ſe revocavit, *ne cum pares honore eſſemus*, *aliqua re ſuperiores videremur*, ut ait CICERO. (3) Ab otio igitur ad cauſſas orandas iterum totum ſe dedidit, naturalem fervorem & animi impetum, paululum remiſſum & ſedatum, reſuſcitavit, & una cum Cicerone per duodecim annos in foro, maximis in cauſſis, verſatus eſt. „ Maxi-
„ me vero, *hic inquit*, *l. l.* perſpecta eſt utriusque
„ noſtrûm exercitatio paullo ante, quam perterritum
„ armis hos ſtudium, Brute, noſtrum conticuit ſubito
„ & obmutuit: cum lege Pompeja ternis horis ad di-
„ cendum datis, ad cauſas ſimillimas inter ſe, vel po-
„ tius easdem, novi veniebamus quotidie: quibus qui-
„ dem cauſis tu etiam, Brute, praeſto fuiſti, complu-
„ res-

(1) *Brut. c. 93.*
(2) *Brut. l. l.*
(3) *Brut. c. 94.*

„ resque & nobiſcum, & ſolus egiſti: ut qui non
„ ſatis diu vixerit Hortenſius, tamen hunc curſum
„ confecerit. ”

Et profecto, quid pulchrius, quid laudabilius, quid denique magis ab omni invidiae ſuſpicione alienum, quam nobilis haec aemulatio inter duos viros, maximarum rerum geſtarum laude ſpectatiſſimos, pietate ſumma venerandos, auctoritate & eloquentia ſupra omnes eorum aequales longe lateque laudabiles? Ut igitur haec Diſputatio redeat unde orta eſt, ſtatuimus omnino, *hanc aemulationem, Hortenſium inter & Ciceronem, minime odii & invidiae fontem, verum ſemper ad majorem perfectionem aſſequendam, utrique ſtimulum fuiſſe.*

Caeterum, ſi qui, ut certe erunt quam plurimi, errores in hac ſcriptione occurrant, juvenilibus annis illos ut condonet & benigne emendet, Benevolum rogo Lectorem; placet enim mihi illud TERENTIANI MAURI.

Corrigenda ſi qua ſane viſa vobis hic erunt,
Non ero ſtulte repugnans, aut amans prave mea,
Quin ſtatim culpanda delens, praebeam rectis locum.

TANTUM.

THESES.

I.

Remedium *Legis* 2. *Cod. de Rescindenda Venditione* non videtur cum CUJACIO, *Obs. Lib.* XVI. *cap.* 18. ad solum venditorem restringendum.

II.

Quod errore juris solutum est, condici nequit.

III.

Actio doli ita demum conceditur, si aliud non detur lenius remedium.

IV.

Bonae fidei possessor ad recuperandas impensas, quas in rem alienam fecit, possessione amissa, nullam habet actionem.

V.

Improbamus sententiam GROTII, *de Jure Belli ac Pacis. Prol.* §. 8. statuentis, poenas rationem in Jure Naturae habere.

VI.

Quamvis, si moralem spectamus doctrinam, neminis aliorum actiones imputari possint, recte tamen in civitate receptum est, ut nonnumquam, qui ipse non deliquit, ob delictum ab alio commissum, puniatur.

VII.

Ex occupatione bellica non oritur dominium regionum occupatarum.

VIII.

THESES.

VIII.

Foedus inaequale imperio ſummo alterius contrahentis nihil detrahit.

IX.

Teſtificationes, qualis fuit illa Franciſci I. contra Foedus Madritanum, inſcio Imperatore Carolo V. facta, minime ex bona fide proficiſci videntur, nihilque ex iis juris exiſtere ſtatuo.

X.

Princeps diſponit de rebus ſingulorum jure imperii, non jure dominii.

XI.

Poenae capitales prudenter adhibitae, ſunt juſtae, utiles, & neceſſariae.

XII.

Diverſitas poenarum, pro diverſa hominum qualitate, non ſemper eſt culpanda.

XIII.

Finis poenarum primarius eſt, ut terrore exempli alii a delictis deterreantur: ſecundarii fines eſſe poſſunt, detractio virium nocendi, ſatisfactio laeſi, & emendatio delinquentis.

XIV.

Omnino vere dixit CICERO *in Or. pro L. Murena. c.* 28. *in fine.* „Nam ſi quis hoc forte dicet, Ca-
„ tonem deſcenſurum ad accuſandum non fuiſſe,
„ niſi prius de cauſa judicaſſet: iniquam legem,
„ judices, & miſeram conditionem inſtituit periculis
„ hominum, ſi exiſtimabit, judicium accuſatoris in
„ reum pro aliquo praejudicio valere oportere.

XV.

THESES.

XV.

Officii ſui terminos excedunt magiſtratus, qui injuſſu imperantis, ad ſocios criminis detegendos, delatori impunitatem promittunt.

XVI.

Juris Civilis Romani univerſe ſpectati praeſtantia, non pendet a propria quadam civilis imperii forma & ratione; quaecunque igitur ſit imperii forma, eximia Juris Romani praecepta uſum ſemper poſſunt praeſtare uberrimum.

XVII.

Injuria reprehenduntur Romani, quod antiquiſſimas ſuas leges maximam partem e Graecia petierint.

XVIII.

Tribunorum Plebis poteſtatem nimiam Romanae Reipublicae ſaepe valde noxiam fuiſſe contendimus.

XIX.

C. Verris accuſatio minus recte tanquam optimum ac praeclariſſimum Ciceronis factum, a WIELANDIO *in Praef. ad elegantiſſimam Germ. Verſ. Epiſtolarum Ciceronis*, laudatur.

XX.

Artes & diſciplinas plus humano generi profuiſſe, quam nocuiſſe, contra ROSSAVIUM, defendimus.

EGRE-

EGREGIO JUVENI

LUDOVICO CASPARO LUZAC.

DE Q. HORTENSIO, CICERONIS

AEMULO, DISSERENTI.

Felix, quem placido naſcentem lumine Muſae
Videre, & ſacris aſſeruere choris:
Cui Clarii licuit nemoris creviſſe ſub umbra,
Atque animum ſtudiis excoluiſſe bonis:
Cui licuit veterum divina volumina vatum
Volvere, & Aonio fonte levare ſitim:
Qui Sophiae vigili luſtravit mente receſſus,
Qua vitae praefert fida magiſtra facem:
Cui licuit priſcos populorum evolvere faſtos,
Floridaque hiſtoriae ferre per arva pedes;
Mirarique viros, felix quos protulit aetas,
Et mentem herois paſcere imaginibus;

Qui

)(o)(

Qui varias mundi potuit cognoſcere gentes,
Quasque olim ſubiit illa vel illa vices:
Publica quîs ſurgat res & nitatur in altum
Artibus, aut imum praecipitata petat;
Quîs populis conſtet libertas moribus, & quîs
Preſſa ruat, domini juſſa ſubire jugum:
Cui veterum ritus populorum noſſe ſagaci
Ingenio, & memori condere mente datum;
Graecia quae ſanxit quondam, quae jura tuendo
Imperio, rerum, maxima Roma, caput;
Seu ſocios quae pacta ligent, quae foedera gentes,
Seu quae civili ſtent rata jura foro.
Ingenium cultis firmatur ab artibus, et ſe
Erigit, et vires exſerit usque ſuas.
Acrior hinc ſtimulos virtus ſibi ſubdit, et urguet
Fortior aeternae pectora laudis amor.
Hinc mulſit veteres Hortenſia ſuada Quirites,
Tullius hinc Latio primus in eloquio.
Hinc famam noſtri ſibi quaeſivere Batavi;
Grotius hac ſuperas attigit arte domos.
Artibus his Schultingi, his Bynkershoekia virtus
A ſera referent poſteritate decus.
His patruus tuus ille, ſui, Luzacius, aevi
Splendor, & Hollandi fama ſuperba fori:
Valcknariusque, tibi materno junctus ab ortu,
Quem ſummis aequat terra Batava viris.
Haec acuant animos, Luzaci, exempla, tibique
Hinc pulcra aſſiduum calcar ad orſa pete!

)(o)(

Tu preme tantorum veſtigia clara virorum,
Nec de gentili tramite flecte pedem.
Ad laudem et patruus te & avunculus excitet eandem,
Ut genti per te perpetuetur honos.
Et patrio fortis, materno & ſanguine ſerva
Valcknarium terris Luzaciumque decus.

TH. VAN KOOTEN.

—

VAN

AAN DEN

NEEF EN NAAMGENOOT

DES GROOTEN

VALCKENAERS,

DEN HEERE

LODEWYK KASPER LUZAC,

bij zijne verheffing tot Meester in de beide Rechten.

De naam van VALCKENAER, die van LUZAC blijft edel,
Waar ooit Geleerdheid bloeie of Wijsheid harten winn':
Gij voert hun-beider naam; de glorie zoekt uw' ſchedel,
En ſluit in één' Lauwrier hunn' dubblen luister in.
Mijn Vriend, zij blozen niet bij deze uw eerſte ſchreden:
Stap onbezweken voort op Recht- en Letterbaan!
Maar, had uw jeugd den moed, hun voetſpoor in te treden,
Volhard, en neem bij 't bloed geheel hun wezen aan!

BILDERDYK.

BSB Bayerische StaatsBibliothek

MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Luzac, Lodewijk Caspar,

Specimen hist.-iur.-inaug. de Q. Hortensio oratore, Ciceronis aemulo

Lugdunum Batavorum 1810

Biogr. 542 g
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10063924-8